SPECIMEN

DE

ATONIA VTERI

THEORETICO-PRACTICVM

AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS

CAPESSENDIS

D. II. MENS. AVGVSTI CIↃ IↃCCLXXVI

DEFENDET

IOANNES GOTTFRIED FLEMMING

ARTERA - MANSFELDENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBAEERIA.

38

PRAEMONENDA.

Artis medicae nec non obſtetriciae incrementa, quae noſtro tempore virorum eruditiſſimorum ſtudio addita fuere, tanta ſunt, vt tironem, niſi prorſus timidum, tamen cautiſſimum reddant, ſi ipſe quaedam propoſiturus eſt; facile enim vitio illo, trita regerendi labitur, cum omnia, quae ad amuſſim enucleata ſunt, relictis etiam neglectisque illis, quae bibliopolarum et typographorum noxa eduntur, vix ſcire poſſit. Inuenta vero noua ſi proferre velit, aut ingenio praeſtantiore, aut adminiculis aliunde depromtis, inſtructus ſit, neceſſe eſt. Alterum quod obſtat rerum ſele-

ctus eſt et coordinatio, cum iudicium demum exercitio frequentiore atque labore improbo matureſcat, quod imaginationis viuidioris praecipitantisque vim intra limites ſuos detinere poteſt. Quae perpendens paululum haeſitaui, ſpeciminis inauguralis ipſene elaborationem ſuſciperem? quod noua *) ſuffragio fere omnium, vel ſaltem grauiora eaque clarius quam hucusque propoſita, atque vtilia exhibere oportet. Quomodo autem quaeſitis illis reſponderim, cum morbi cuiusdam, puerperis infeſtiſſimi hiſtoriam proferre, eamque cogitatis quibusdam illuſtrare auſus ſim, aequus iudicet lector. In eo autem verſaturus, vt, praemiſſa morbi hiſtoria, quae atoniam vteri totalem poſt partum gemellorum exiſtentem, feliciſſime tamen ſanatam, exhibet, quaeque experientia Exc. ROEDERERI, medicinae doctoris, obſtetricantis Argentinenſis ordinarii, dexterrimi, Viri Candidiſſimi (quem cum partum adminiſtrantem, tum puerperae curam gerentem, ſecutus ſum,) nititur, in parte ſpeciminis prima morbi theoriam, quae vteri contemplationem anatomico-phyſiologicam (quantum ad ſcopum pertinet) breuiorem, morbi notionem, cauſſarum ſcrutinium, ſymptomatum enarrationem, ſignorum explicatio-

*) Noua proferre quidem adeo difficile non eſt, modo aliquis confidens ſatis temerariusue ſit, vt virorum celeberrimorum labores, defraudandi conſilio, acriter perſtringere, illisque errores, vbi nulli ſunt, imputare, atque proprias laudes oratoria, praeconia aut nugatoria voce aliis obtrudere poſſit. Qui hac de re plura noſſe cupit, librum adeat, cui titulus eſt: Pratique des accouchemens première partie, contenant l'hiſtoire critique de la doctrine et de la pratique des principaux accoucheurs, qui ont parus depuis Hippocrate jusqu'à nos jours etc. par Mr. ALPHONSE LEROY à Paris 1776 8vo. Reſtauratoris artis obſtetriciae (quod ſibi ipſe in dicto libro paſſim tribuit) nomen an mereatur, ſecunda eiusdem libri pars, quam promiſit, docebit; Calumniatoris autem in libro citato ſe reum fecit.

cationem, diagnoſis et prognoſis epitomen comprehendit, tradam; in altera autem, eaque practica, medendi methodum, cum quae in auertendo malo metuendo verſatur, tum quae ad profligandum puerperarum adeo exitioſum morbum, huiusque varium gradum, adhibenda eſt, pro viribus exponam, cui puerperii regimen, mali ſuperati conditioni accommodatum, iungam. Equidem non dubito, quod rerum illepidarum narratio *), orationis ornatu ſuauior reddita, lectoribus magis placere poſſit; cum autem illo inſtructus non ſim, vt, in fida rerum relatione et ſimplici cogitationum explicatione, minus ad ſermonis cultum et nitorem quam ad obiecti grauitatem, noſtraeque artis, iudicio ſano, ſcientiis acuato, addiſcendae ambitum **), beneuolus et aequus lector reſpiciat, ſimulque memor ſit, tironem non vero doctorem loqui, humaniſſime rogo.

*) LEVRET Suite des obſervations (qui liber iunctus eſt illi: obſervations ſur les cauſes et les accidens de pluſieurs accouchemens laborieux, à Paris 1770) pag. 453.

**) HIPPOCRATES Sect. I. aphor. I.

MORBI HISTORIA.

Grauida viginti trium annorum, partum antea iam paſſa, ſtaturae paruae, temperamenti phlegmatici, habitus fere cachectici, vorax, quieti quam maxime indulgens, pigra ita, vt ſtatim a paſtu transuerſim in lectum ſeſe praecipitare ſoleret, initio huius anni domum obſtetriciam adiit, et die tertia menſis Febr. termino partus iam appropinquante, tactu explorabatur. Os tincae in peluis axi profundius poſitum, latitudine pollicis apertum, cuius margines quidem craſſiores, ſed molles erant atque labia deterſa, inueniebamus; iuxta veſiculae iamiam percipiendae latus ſiniſtrum eminentiam quandam mollem, a ceruicis vteri ruga formatam, tangebamus, quae vero ſub partu euaneſcebat; pelui iuſta erat capacitas; abdomen valde tumebat, et quidem, vmbilico etiam prominente, ab vtrisque lateribus. Die IV^ta^ Febr. poſt meridiem dolores ad partum, ſed debiliores adhuc percipiebantur; veſicula tamen diſploſa aquarumque mediocri quantitate effuſa, caput, non adeo magnae molis, in peluis cauitatem deſcendebat, quod vero per totam noctem ita perſiſtebat. Die V^ta^ hora XI^ma^ antemeridiana, quum dolores debiles caput, cuius diametrus maior in eadem peluis maxima [1]), facie ad dextrum latus vergente, poſita erat, profundius depellere non valerent, Exc. ROEDERERVS opii doſi puerperae ſomnum conciliare, perque hunc nixus augere tentabat. Sed nec hora III^tia^ pomeridiana rerum facies mutata erat. Caput igitur in peluis cauitate immobile quidem, absque tamen inclauatione, haerens, forcipe protrahere praeceptor conſtituebat, imprimis cum parturientis vires debilitarentur licet illa iusculis nutriretur. Forcipe haud difficulter inducta, etiam ſatis commode protrahebatur puerulus; qui, licet forcipis impreſſionibus eius gena ſiniſtra frontisque ſiniſtra pars, profundioribus notatae eſſent, oſſibus vero ſponte redeuntibus, per aliquot ſeptimanas tamen vegetus vixit. Foetus alter, puellula, ruptis membranis adhuc integris, verſione feliciter educta, pariter poſt aliquot ſeptimanas

1) LEVRET. l. c. Sentiment ſur le levier de ROONHUISEN pag. 271. dans le ſecond tems etc.

nas moriebatur, vt vt corpuſculorum ſolito teneriorum cura exquiſita haberetur. Ambo oua aquarum libras circiter ſex reddebant. Placentarum nulla funiculorum tractionem ſequebatur; quarum igitur expulſio, cum haemorrhagiae indicia non apparerent, puerpera in lectum repoſita, vteri viribus committebatur. Poſt viginti circiter minutarum ſpatium obſtetrix ſanguinis profluuium denunciabat; quod communia, haemorrhagiae vterinae ſymptomata: faciei pallor, oculorum obnubilatio, lipothymiae, vocis amiſſio, concomitabantur. Venter autem absque dolore tumidus, vteri volumen adhuc extenſum ſub vmbilico percipiendum, plancentae firmiter adhaerentes atoniae vteri totalis ſigna exhibebant. Splenia oxycrato frigido madida, ventri impoſita, aqua frigida in aegrae faciem inſperſa, eiusdemque hauſtus exhibitus, puerperae vires quidem paululum, nullas vero vteri contractiones excitabant. In lectum transuerſim eam ponere iuſſit, et placentas, iuſto firmius adhaerentes, a ſe inuicem tamen ſeparatas, multo labore, ſub continuo ſanguinis profluuio, extraxit Exc. ROEDERERVS. Quo facto et ſpleniis iam dictis ſaepius reiteratis, abdominisque frictionibus continuatis vterus ſenſim ſeſe contrahebat, ſanguinisque torrentem reſtringebat. Horror ſuperueniens calore lecti moderato diſſipabatur, venter leni ſtrictura ſuper ſplenia illa appoſita comprimebatur; quibus vt et hauſtu vini dulcis cum pane biscocto exhibito, vterinae contractiones augebantur, aliisque interpoſitis analepticis pulſus depreſſus viresque vacillantes excitabantur. Haemorrhagia cohibita iuſculo carnium tenuiore, in quo gelatina cornu cerui ſoluta erat, vires debiles reſtaurare annitebamur; quo, vna cum potu diluente per aliquot dies, absque vllo alio nutrimento exhibito, puerpera reficiebatur. Noctu, ad motus febriles temperandos, iulapium refrigerans ex ſyrupo rubi idaei, acetoſitatis citri, cum aqua cornu cerui citrata paratum, exhibebatur, atque ad ſpaſmos tollendos, mixtura pro puerperis (quae ex olei lini partibus duabus et ſyrupi altheae parte vna paratur) interponebatur. Nox ſatis tranquilla ſequebatur, ita vt, licet capitis doloribus (ſymptomate poſt haemorrhagias profuſiores ſolemni) vexata, tamen per vnam alteramue horam dormiret puerpera.

Die

Die VIta Febr. Mane clyſma ex aqua tepida (puerperarum in domo illa obſtetricia commune enema, quod ſemper iniicitur, quando ſymptomata, clyſmatibus emollientibus non contraria, puerperas vexant; hinc et in noſtra quouis die bis adhibebatur) recepit. Venter erat mollis nulloque modo doloroſus; lochiorum nulla veſtigia; pulſus ſatis tranquillus et fortis. Hora autem Xma antemeridiana pulſus febrem minabatur, quae et poſt horam cum horrore, calore ſubſequente absque tamen ardore, aegram inuadebat. Lingua humida, cutis perſpirans, dolores capitis mitiores, febrem non periculoſam eſſe teſtabantur. Emulſio nitrata et iulapium refrigerans exhibebantur. Hora IIda pomeridiana pulſus durus et frequens, cutis ſicca, iniectio in vterum facta cum foetore refluens, peiorem reddebant prognoſin. Exper. EHRMANNVS loco Exc. BOEHMII ſoceri ſui, medici noſocomii ordinarii, ad aegrorum curam conſtitutus, ad conſultationem vocabatur; qui ob dolores capitis, a ſanguinis congeſtione pendentes, et lochiorum ſuppreſſionem veſicatoria ad ſuras apponenda ſuadebat, vna cum methodo antiphlogiſtica. Clyſma aluum foetidam eluebat, ardor cutis, linguae ſiccitas aderant.

Die VIIma. Nox quidem pro rerum circumſtantia ſatis bona fuit; ſed, licet ſurae maderent, capitis dolores aucti, et circa collum noui, aegram vexabant, ita, vt non niſi difficulter deglutire poſſet. Abdomen molle, absque dolore, cutis perſpirans, lingua humida, vulua madida vt vt foetens, aluus foetida, pulſus frequens quidem ſed plenus, ſatis bonum ſuppeditabant augurium. Methodus antiphlogiſtica continuabatur, vires iuſculis ſuſtentabantur. Verſus meridiem pulſus frequentia minor erat; de doloribus colicis autem conquerenti mixtura pro puerperis dabatur, iulapio interpoſito. Ad vteri organorumque reliquorum tonum in corpore laxo adaugendum emulſio nitrata, cum infuſo corticis peruuiani parata, cochleatim propinabatur. Veſpere autem, ob febris praeſentiam et lochiorum paucitatem Exper. EHRMANNVS ſanguinis vncias VI-VII. de pede detrahendas eſſe exiſtimabat. Quo facto, et per noctem emulſione nitrata ſimplici exhibita, pannisque oleo lini madidis ventri impoſitis, ſatis bene ſe habebat puerpera; dolores capitis etiam mitiores reddebantur, licet veſicatoria parum educerent.

Die VIII^{va} Febr. Cum pulſus fortitudine et frequentia denuo auctus pierciperetur, nec lochiorum fluxus ex voto reſponderet, altera in pede ſed parcior inſtituebatur venaeſectio; ſanguis eductus poſt horae ſpatium cruſtam, inflammatoriam ſic dictam, admodum craſſam offerebat. Foetor alui et lochiorum, parcius licet profluentium, ingens erat. Ptiſana acidula cum parca gelatinae portione atque emulſio nitrata exhibebantur. Ob pulſus frequentiam et duritiem Exper. EHRMANNVS tertiam inſtituere venaeſectionem volebat. Ad ſpiſſitudinem ſanguinis inflammatoriam vero reſoluendam pulueris *Carthuſianorum*, cum conſerua roſarum in pilulas redacti, granum dimidium quouis bihorio, vna cum emulſione nitrata, iulapio interpoſito, porrigebatur.

Die IX^{na}. Nox non adeo fuit tranquilla, cum capitis dolores, licet cataplaſmate anodyno collo appoſito, aegram vehementer excruciarent, per vices tamen ſomno fruebatur. Symptomata etiam peiora quam diebus praegreſſis obſeruabantur: Cutis et linguae ſiccitas, faciei triſtitia, aegrae ſumma inquietudo, alui clyſmate ſolutae et lochiorum parcius exeuntium foetor, pulſus durities cum frequentia. Manifeſtae putredini, ſaltem locali, indeque et ſanguinis, ſpiſſitudine inflammatoria laborantis, infectioni factae Exc. ROEDERERVS potum refrigerantem copioſius hauriendum opponebat, qui ex aqua, cui ſpiritus vitrioli ad aciditatem eminentiorem vſque inſtillatus fuit, et ſyrupo rubi idaei praeparatus erat; pilulas iam dictas denuo ſumere iubebat. Indicationem rite fuiſſe formatam euentus bonus declarabat: Veſpere enim pulſus quidem plenus non tamen adeo frequens manſit; lochiorum foetor imminutus, copia aucta fuit; alui excretio, hucusque parca, liquida et foetida, naturalem magis oſtendebat conſiſtentiam et colorem; lingua fiebat humida, cutis perſpirabat. Pilulae dictae et potus antiputridus per noctem continuabantur; quae quidem inquieta admodum ſecuta eſt, delirans enim aegra e lecto exſurgere conabatur.

Die X^{ma}. Cum motus febriles vel nulli vel debiles tantum adeſſent, potio aluum purgans, ad deriuandos ab vtero nimios, putredine infectos humores, ex ſucco citri, ſale mirabili *Glauberi*, manna in aqua ſoluta, compoſita, partitis vicibus exhibebatur; qua aluus ſexies ſoluta eſt cum puerperae euphoria, ita, vt et cutis ſimul maderet. Meridie iuſculum, prima vice cum pane albo, ſumebat.

Veſpere acceſſus febriles redibant. Per noctem emulſionem nitratam cum infuſo corticis peruuiani paratam, et potum antiputridum, hauriebat.

Die XI^ma^ Febr. Nox fuit tranquilla, lochiorum fluxus copioſior, non amplius foetens, aluus ſponte ſoluebatur, eiusque deiectio excretioni naturali ferme ſimilis erat; ſed en! lumbricus ſimul expellebatur. Capitis dolor aberat, appetitus creſcebat, pulſus fortis, nec frequens erat. Ad primas vias vlterius expurgandas ſerum lactis tamarindinatum cum ſale Sedlizenſe et tartari emetici grano acuatum, nitri portione addita, per vices hauriendum proponebatur. Cremor hordei, per ſuccum citri gratior redditus, potum; iuſcula carnium cum pane albo, vti hodie ita et diebus ſequentibus, nutrimentum conſtituebant. Veſpere denuo emulſio nitrata, cum infuſo corticis peruuiani paranda, praeſcribebatur.

Die XII^ma^. Puerpera quiete refecta pulſum vix febrilem, appetitum bonum habebat; lochia ſufficiente in copia prodibant. Omnia, malum praeſagientia ſymptomata aberant. Potum ordinarium exhibebat decoctum *Haenii*. Emulſio iam dicta vlterius dabatur. Euacuandi ſcopo potio, compoſita ex aqua florum acaciae, ſucco citri, ſale tartari ad ſaturationem vſque addito, vt et ſyrupo violarum, cochleatim propinabatur; qua aluus quater ſoluta eſt.

Die XIII^tia^. Pulſus paruus, ſubdurus, cutis ſicca, calor exaeſtuans ſeſe offerebant, quamuis lochia copioſe ſatis prodirent, aluusque reſponderet; ſed diaetae errorem fuiſſe commiſſum ſuſpicabamur, cum de fame admodum conquereretur aegra die praegreſſo. Medicamentis refrigerantibus exhibitis, perſpiratio liberior facta et ſomnus reficiens ſecutus ſymptomata illa profligabant.

Die XIV^ta^. Euacuandi ſcopo denuo ſerum lactis tamarindinatum, cum ſale Sedlizenſi et tartari emetici grano acuatum, exhibebatur.

Die XV^ta^. Omnibus in meliorem ſtatum vergentibus, animi hilaritate atque viribus auctis ita, vt et lectum per horam vnam alteramque relinquere puerpera poſſet, ſcopo roborandi, primas vias puras et perſpirationem liberam ſeruandi, electuarium ex cortice peruuiano, tartaro tartariſato, cum rob ſambuci compoſitum, praeſcribebatur. Diaeta adhuc accuratiore ſeruata, et electuario dicto per ſeptimanam ſimul exhibito, perfecte conualeſcebat aegra, ita, vt poſt aliquot hebdomades, gratias agens, e domo obſtetricia diſcederet.

EPILO-

EPILOGVS.

Quod fibra laxa, debilis, ſtatus fere cachecticus, vteri extenſio, ob gemellos aquarumque copiam ſolito maiorem, nimia, vita otioſa, diaeta peruerſa cauſas ad morbum praediſponentes conſtituerint grauiores ex paragrapho tertia apparebit; nec occaſionem defuiſſe, cum labore ad partum diuturno vires frangerentur, et placentarum nimis firma adhaeſione vteri contractio impediretur, ex iisdem quae paragrapho citata dicuntur, certum eſt; indeque atoniam vteri totalem completam eamque exquiſitam, paragrapho II^da^ definitam, extitiſſe, ob ſignorum paragrapho V^ta^ adductorum in noſtro caſu praeſentiam, aſſerere audeo. Violentiam, quae ad placentarum excuſſionem adhibita fuit, prognoſin reddidiſſe peiorem, qui vteri grauidi fabricam atque puerperae ſtatum conſiderat, non negabit; quamvis porro laticis rubicundi inſignis copia, atque adeo ſimul, ratione ad corporis ſtatum cacochymicum habita, maxima virium pars profuſa fuerit, aegram nihilominus ſeruatam fuiſſe atque methodo deſcripta perfecte conualuiſſe, ita, vt aeque ac ante grauiditatem hilaris vegetaque muneribus ſuis fungi poſſet, vix ſibi perſuadere poterit, qui cauſarum agentium vim, mali fere ſummum gradum atque ſymptomatum maxime terrentium agmen inter ſe comparauerit. Praeter Commilitones autem doctiſſimos, qui quotidie mecum aegram viderunt, Cel. LOBSTEINIVM teſtem ocularem excitare cum honoris praefamine poſſumus. Ne tamen, dum ſolius artis praeſtantia aegram ſeruatam fuiſſe diceremus, arrogantiae nos reos reddamus, quod naturae vires, in hoc ſubiecto occultae, fuerint efficaciores, quam illius ſcrutator ſagaciſſimus potuiſſet praeuidere, lubentiſſime fatemur. Nihilominus proſperi euentus non minimam

mam partem tribui poſſe Exc. ROEDERERO, cum ob partus prudentem adminiſtrationem, tum ob methodum puerperae affectionibus medendi aptam, quoque affero. Quum autem obiecti grauitas atque mali varietas methodum medendi, et auxiliorum ſelectum, naturae morbi accommodatum, requirat, pro virium modulo rem ex inſtituto pertractare mihi licebit.

PARS PRIMA SPECIMINIS
DE ATONIA VTERI
THEORETICA.

§ I.

Quaedam de vtero anatomico - phyſiologica.

Vterum non grauidum eſſe corpus organicum, vaſculoloſiſſimum 2) neruis praeditum 3) fabrica muſculoſa contractile redditum 4) in pelui foeminea, veſicam vrinariam inter atque inteſtinum rectum, e regione tertiae quartaeque oſſis ſacri vertebrae ſpuriae locatum, extrinſecus admodum politum, peritonaeo obuolu-

2) WINSLOW expoſ. anat. Tom. IV. Traité du bas ventre § 614. Non ſolum vero a ſpermaticis et hypogaſtricis, verum etiam ab iliacis externis ramos accipit. HALLER. Elem. phyſiolog. Tom. VII. lib. XXVIII. Sect. II. § 41. 45. Communicant non ſolum cum haemorrhoidalibus, adeoque meſeraicis, ſed et cum cruralibus.

3) WINSL. l. c. § 623. HALLER. l. c. § 49. Nerui et ab intercoſtali, lumbalibus, ſacralibus, et a vagis proueniunt; ab his nimirum mediante ganglio ſemilunari magno, a quo funiculus ſpermaticus filum accipit. Nexus exinde vteri cum infimi ventris viſceribus, atque medii organis, exſurgit arctiſſimus. WINSL. l. c. Tom. III. Traité des nerfs. § 403 - 420.

4) HALLER. l. c. § 10. 11.

uolutum, figurae fere triangularis, cui et interna fere vix non reſpondet cauitas rugoſa, in fundum, corpus et ceruicem diuiſum; ceruicem eſſe partem anguſtiorem, canali longiore, e duobus quaſi conis, quorum baſes ſibi reſpondent, compoſito, inſtructam, vaginae vteri vix non continuam, prominentia obtuſa per rimam transuerſalem fiſſa, ſub oris tincae nomine in vagina libere conſpicuam, ligamentis ad inteſtinum rectum reuinctam; fundum vero dici eam partem, ceteris craſſiorem, in naturali vteri ſitu fere ſupremam, conuexam, per ligamenta lata ad latera peluis alligatam, per rotunda, quae chordae vaſculoſae aptius dicuntur, cum labiis pudendorum connexam, tubis vaſculoſiſſimis, muſculoſis, quae in extremitates ampliores, laciniatas, libere pendulas abeunt, et vna cum ouariis, corpuscul s oualibus paululum compreſſis, a ligamentis latis obuolutae ſunt, Fallopianis dictis, ornatum, quisque, anatomiae primitias tenens non neſcit. Vterum porro conceptioni atque nutritioni noui hominis primariae, ſecundum naturae leges, a ſummo CREATORE conſtitutas, euenientes, inſeruire, phyſiologi docent. Quod ſi vero foemina conceperit, matricis parietes craſſos, denſos, partim ob oui elaſticam vim, maxime autem ob humorum, propter irritationem parietibus illatam continuatamque, affluxum copioſiorem ita expandi, vt, deleto vaſorum ſerpentino tractu, ampliata inſigniter illorum diametro [5]), vnde et venarum rami maiores nomen ſinuum [6]) acceperunt, capacitas aucta ſemper reſpondeat oui incremento; parietum porro craſſitiem et

B 3 denſita-

5) THOM. BARTHOLIN. anat. reform. cap. 28. HALLER. l. c. (2) §. 46. 47. (*Numerus parentheſi additus notam in hac diſſertatione deſignat eam, in qua libri nunc citati titulus expreſſus eſt.*)

6) MONRO *Edimb. Verſuch. 2ter Theil. Altenb.* 750. pag. 161. JENTY demonſtratio vteri praegnantis etc. in tabulis VI. Edit. Cl. SCHMIEDELII, Norimb. 761. HALLER. l. c. (2) § 47.

denſitatem vario modo mutari, augeri minuive pro regionum vteri diuerſitate 7) ceruice tamen vix non ſemper tenuiore exiſtente 8) fundo autem craſſiore; locum denique, ad quem placenta adhaeret, ob vaſa ampliora 9) admodum hiantia 10) valde extenſa, hinc et plus debilitata, ſemper eſſe craſſiorem 11) reliqua parietum diametro, atque laxiorem 12) ea ſunt momenta, quae propter fabricae muſculoſae relaxationem, indeque toni vaſorum imminutionem, ſanguinis huc copioſiorem deriuationem, neruorumque, ob extenſionem nimiam, debilitationem, in cauſſarum ſcrutinio noſtram attentionem merentur.

§. II.

Morbi notio.

Atonia 13) ſecundum vocabuli Ἐτυμολογίαν ἀπὸ τȣ τείνω tendo, καὶ α priuatiuo ad fibras muſculares vaſorum viſcerumque applicati 14) potentiae illarum priuationem ſignificat. Quum autem phyſiologi fibrarum muſcularium vim proprie actiuam crediderint ſolummodo contractoriam, pathologi vocabulum illud, ad eum ſtatum morboſum exprimendum, quando contractio iam neceſſaria non efficitur, adhibuere. Vocabulum συστολῆσ quidem et α priatiuum aptiorem morbi exhiberent denominationem, a communi tamen

7) VAN DOEVERN ſpecimen obſ. acad. Groen. 765. 4to. cap. VI. pag. 92. SCHMIEDEL obſeruat. ex duabus grauidis etc. adiunctae JENTY tabulis, pag. 9. HALLER. l. c. (2). §. 9.

8) VAN DOEVERN l. c. pag. 93. SCHMIEDEL. l. c. pag. 13.

9) HALLER l. c. (2) §. 47.

10) NOORTWYCK vteri hum. grau. anat. pag. 9. MONRO l. c. (6) pag. 162.

11) LEVRET obſeruations ſur les cauſes etc. pag. 119.

12) SMELLIE Traité de la théorie et pratique des accouch. traduit de l'anglois par Mr. de PREVILLE Tom. I. pag. 247.

13) Cuius ſignificationi fere reſpondet vocabulum *inertiae*.

14) GAVBIVS inſtitutiones pathol. medic. edit Lipſ. 771. §. 752.

tamen loquendi ratione diſcedere nolui. Atonia vteri vera, eſt fibrarum eius in extenſione conſtitutarum, ad contractionem nunc efficiendam [15]) actio ſublata, aut ſaltem imminuta. Veram igitur virium, contractionem efficientium, priuationem pro cauſſa proxima §. III. agnoſcit. Pro temporis ſtadio, quo contingit, vel parturientium, vel puerperarum eſt [16]); pro mali grauitate maiore minoreue, vel exquiſita, vel imperfecta, completa vel incompleta; pro ſpatii dimenſione quod occupat in vtero, vel totalis, vel partialis. Ratione exitus, vel ſubito lethalis exiſtit, vel ſenſim foeminam conſumit, vel alios morbos producit, vel absque noxa profligatur. Parturientes atonia vteri affici poſſunt ſtatim ab aquarum, foetum ambientium, effluxu; puerperae vero poſtquam foetus, vel vna cum placenta, vel hac relicta, expulſus fuerit. Exquiſita ea eſt, quando nequidem niſus fibrarum muſcularium ad contractionem ſupereſt, cuius igitur ſummum gradum paralyſis vteri [17]), aptius proprio nomine vocanda, conſtituit; imperfecta autem, ſi quaedam fibrarum con-

15) Laxitas igitur, in vtero non grauido exiſtens, excluditur, quae HIPPOCRATI iam cognita fuit, Aph. 62. Sect. V. *Quaecunque frigidos -- quaecunque humidos habent vteros* etc. Cui et variis in locis methodum medendi oppoſuit, conf. lib. I. de morbis mulier. Sect. 26. edit. V. DER LINDEN. Tom. II. pag. 434. et Sect. 84. pag. 466. Lib. II. Sect. 51. pag. 584. De natura mul. Sect. 17. pag. 370. Tom. II. Quem poſtea ſecuti ſunt omnes. De vteri imbecillitate et debilitate, conf. DAN. SENNERTI Pract. lib. IV. pars II. Sect. I. Quae vero laxitas, cum vix non ſemper cum eadem totius corporis coniuncta ſit, auxiliorum eorum applicationem exigit, quae propoſuere BOERHAAVIVS aph. 24 - 30. eiusque Commentator VAN SWIETENIVS; b. LVDWIGIVS in therap. gen. §. 162. ſqq. additis ſimul quae partis affectae conditio exigit.

16) Atonia grauidarum repugnat definitioni; conf. not. 15. et ob curam. §. VIII.

17) Caſum vidit EXC. GEHLERVS; nullis enim auxiliis, neque aqua frigida ſuper abdomen fuſa, neque parietis vterini irritatione per manum immiſſam facta, excitare potuit vteri contractiones.

contractio [18]) neutiquam tamen ſufficiens, percipitur. Completam dico atoniam, ſi vteri volumen, tanquam a foetu et aquis, eum ambientibus, expanſum, absque omni perſiſtit contractione, ita, vt placenta per vteri contractiones ne ex parte quidem ſoluatur; incompletam, ſi vteri volumen contractionibus vltimis quidem imminuitur, illis autem deficientibus ita perſiſtit. Atonia totalis omnem occupat vteri parietem; partialis autem aliquam illius partem. Ex vna ſpecie in alteram datur transgreſſus [19]); quaedam ſimul iunctae exiſtere poſſunt [20]); Exitus, vti aliorum morborum, triplex. Alius generis autem eſt morbus, qui cum ipſa quidem atonia quaedam habet eſſentialia: actio nimirum fibrarum muſcularium itidem deſinit, hinc et vaſa non clauduntur; ſed cauſſa eſt externa, neque fibrarum vires deficiunt, hinc atoniae ſpuriae nomen meretur. Eiusdem morbi ſpecies variae ſunt: alia eiusmodi atonia a corporibus peregrinis, poſt partum in vtero commorantibus, producitur [21]); alia ab vteri ruptura [22]); alia ab eius inflammatione atque ſubſequente gangraena [23]) efficitur. De vtero rupto docte egit Cel. CRANZ [24]); vteri gangraenam nemo morta-

18) Hinc et forte atonia fibrarum vtero propriarum HALLER. l. c. (2). §. 9. fine, earundemque vaſorum aſſumi poſſet; cum vero methodus medendi nullam admittat diuerſitatem, neque quod per ſigna morbi iſti a ſeſe inuicem diſtingui poſſint adeo manifeſte appareat, eam diuiſionem relinquo.

19) v. c. imperfecta in exquiſitam et v. v. totalis in partialem, completa in incompletam etc. abit.

20) Completa poteſt eſſe vel exquiſita vel imperfecta, incompleta itidem et v. v. Totalem completam exquiſitam nobis offert morbi hiſtoria pag. 7.

21) Atonia haec duplex eſt: altera totalis, ex ſaguinis coagulo vteri cauitatem replente conf. not. 53; altera partialis, itidem ex ſanguinis grumo, placenta relicta, etc.

22) CRANZ comment. de rupto in partus doloribus a foetu vtero; Lipſ. 756. 8vo §. 15.

23) Gangraenoſa atonia quidem ad eam veram pertinere videtur, cum vero ex inflammatoria generetur, huc trahere placuit.

24) l. c.

mortalium profligabit[25]; inflammatio vero vteri praegnantis totalis, imprimis partu appropinquante nata[26]) a nullo (quantum equidem ſcio) autore deſcripta legitur. Sola igitur ea mihi reſtat ſpecies, quae vteri contractionem a corporibus peregrinis impeditam ſiſtit; cuius curationem, cum frequenter ſatis occurrat morbus, et quoad effectus, nec non medelam cum atonia partiali multum conueniat, quibusdam illuſtrabo praeceptis. Spuriae nomen quoque meretur illa atonia, quae ob praecipitatam vteri contractionem a partu nimis celeriter peracto §. III. pag. 22, oritur; de qua igitur, in curatione ſpuriae ſtricte ſic dictae, pauca addam monita. Atoniae notione exhibita, illius antiquitates breuiter rimari liceat. Veteres diriſſimum puerperarum malum ex effectibus ſuis cognouiſſe ex HIPPOCRATE[27]) et ARETAEO CAPP.[28]) apparet. Quod vero de illius natura pleniorem habuiſſent cognitio-

25) Legitur quidem ſpecioſa ſatis, gangraenae, XIV dies ante partum in vtero exiſtentis, hiſtoria in diſſert. a. Cl. LAVRENT conſcripta et a JACQVEREZ Argentinae 1775. defenſa; ſed praeter id, quod fide hiſtorica careat, hinc inde ſibi ipſe contradixit.

26) Inflammationem oportere eſſe totalem vel ſaltem maximam vteri partem occupare, ſi illius fibrarum inertiam in partu producere debeat, quisque facile concedet; cum vero ſanguis ad vterum grauidum copioſius appulſus, ob nexum placentae, in vltimis praecipue grauiditatis menſibus, cum vtero non adeo firmum, portam foras egrediendi facile inueniat, inflammatio eo tempore minus metuenda eſt quam haemorrhagia. Hinc et non ſub partu oriri poteſt.

27) De morb. mul. lib. II. Sect. VI. Tom. II. pag. 533. *Ruber fluxus fluit talis, qualis ſanguis victimae recens mactatae, es grumi pellucentes;* et lib. I. Sect. 67. pag. 457. *Si vero a partu purgata fuit mulier paulo plura quam oportet, (contingit enim hoc, ſi vteri amplioris oſculi fuerint, et venae quaedam ruptae ſint, quae ſub vteros tendunt)* etc.

28) Lib. II. de cauſſis et ſign. acut. morb cap. XI. fine. edit. Argent. 768. 8vo pag. 53 *In ſanguinis autem (e vulua) profuſione, et maturius mors ingruit, quemadmodum cum quis animal iugulat.*

nem [29]) aſſerere non audeo, cum de muſculoſa fabrica eiusque fibrarum actione eandem ac nos non conceperint opinionem. Eodem modo obſeruationes MAVRICAEI [30]) et eae quae LA MOTTE [31]) memoriae tradidit, intelligendae ſunt; neque Cel. ROEDERERVS eum morbum plenius perſpexiſſe videtur [32]). Alii vero, et potiſſimum recentiorum nonnulli, recentiſſimi vix non omnes, ſanguinis a partu profluuium attentius conſiderantes, monumenta clariora de atonia vteri nobis exhibuere. Primus quod ſciam, teſtante etiam Cl. HVGVENIN [33]) Cel. DVSSE', obſtetricans Pariſinus de morbi natura [34]) locutus eſt; quaedam de ea monuit Cel PVZOS [35]). Mirandum tamen eſt, quod de morbo vitae puerperarum adeo exitioſo, atque non-

29) HVGVENIN in diſſert. de atonia vteri poſt partum, Argent. 770. §. 7. verba HIPPOCRATIS lib. I. de morb. mul. et ARETAEI iam citata quidem ita explicare videtur, ac ſi de morbi natura habuiſſent notitiam.

30) Obſervations ſur la groſſeſſ. & l'accouch. No. 199. 333. 646. Dern. obſ. 95. Manifeſta erat atonia in obſeruatione 230ma. Inciſo enim cadauere vterus extenſus eiusdemque fundus introrſum depreſſus haerebat, cauſſam haemorrhagiae nihilominus in nimia ſanguinis exaeſtuatione propter bilis, obſtructis per calculos viis, in illum factam regurgitationem.

31) Traité complet des accouch. à Paris 722. 4to. obſ. 206. 392. 393. 397. 398. 399. et obſeruatio ea pag. 923 ſq. LA MOTTE tamen non accuratius quam MAVRICEAV cauſſam haemorrhagiae ab atonia productae perſpexiſſe, ex cogitatis ad obſ. 399. (quam ipſe LEVRET Suite des obſ. pag. 453 pro atonia habet,) apparet.

32) Opuſc. med. Tom. I. p. I. obſ. VIta. pag. 147. ſq.

33) diſſ. cit. pag. 2.

34) Hiſt. de l'acad. roy. des ſcienc. à Paris ann. 1724. ſub titulo. diuerſes obſeruations anatomiques, §. III. pag. 35. 4to. *Quand le foetus eſt ſortir de la matrice, il faut que les orifices extrêmement ouverts de tous les vaiſſaux ſe referment par la ſeul action de leur reſſort; que ſi par quelque indiſpoſition particulière ce reſſort ne fait pas bien ſa fonction, il ſurvient après l'accouchement de pertes de ſang.*

35) Mémoire ſur les pertes de ſang; vid. les Mémoires de l'acad. de chirurg. à Paris Tom. I. in 4to. vel Tom. II. in 12mo. pag. 218. ſq. et paſſim.

non infrequenter occurrente [36]), parum adhuc explicauerint viri in arte obſtetricia celeberrimi; frequentiorem autem haemorrhagiae, poſt partum exiſtentis, cauſſam in vteri atonia querendam eſſe, plures mihi perſuadent rationes. Inter recentiſſimos vero plura de iſto malo expoſuere: candidus SMELLIE [37]), Exc. GEHLER [38]), Cl. SCHMIDT [39]), DE GORTER [40]), VAN SWIETEN [41]) FRIEDIVS iunior [42]), DELEURYE [43]). Ex inſtituto eam tractarunt Cel. LEVRET [44]) HVGVENIN [45]).

§. III.

Atoniae cauſae.

Virium fibrarum muſcularium vteri, contractionem efficientium, ſiue ſi vis, irritabilitatis defectus, vel imminutio, cauſſam proximam atoniae exhibet. Cauſſarum praediſponentium vice funguntur omnia ea, quae fibras vteri vltra modum relaxant, extendunt [46]) neruos debilitant,

C 2

36) Teſtante Exc. GEHLERO etiam DVSSE' l. c. (34.) *Cet accident, qui n'eſt pas rare eſt ſouvent funeſte, ſoit par lui même, ſoit par ſes ſuites.*

37) l. c. (12) pag. 425.

38) Diſſ. de ſanguine in partu profluente, Lipſ. 759. §. 13.

39) Diſſ. de haemorrhagia vteri poſt partum nimia, Ienae 759. §. 12. 31.

40) Prax. med. Tom. II. lib. V. §. 420. art. X. edit. Harderov. 750. 8vo.

41) Comment. in Boerhaauii Aph. Tom. IV. §. 1322. pag. 581. ſq.

42) *Anfangsgründe der Geb. H.* §. 468. & 470.

43) Traité des accouch. à Paris, 770. §. 999. ſqq.

44) Monet quaedam in l'art des accouch. §. 858. ſq. edit. 766 pag. 161. fuſius egit in Suite des obſ. art. IX. X. pag. 447. ſqq. Qui tamen, vti ipſe fatetur l. c. pag. 453. plura eaque clariora nobis exhibere potuiſſet; omnibus grata et accepta, imprimis cum mali huius obſeruatio rarius ad medicos clinicos quam ad obſtetricantes perueniat. Sed vti plura alia, ita et haec, ad priuatas ſine dubio relegat inſtitutiones.

45) Diſſ. cit. (29).

46) Huc et partus ſerotinus referri poſſet, cum vterus iuſto diutius exten-

tant, aut, vt illae extenſioni facilius cedant, efficiunt. Vniuerſalis igitur corporis laxitas et debilitas, humores ſeroſo-pituitoſi, morbi chronici in grauiditate perpeſſi, v. c. fluor albus, gonorrhoea, lues venerea, etc. fibrarum vteri laxitatem producunt. Pinguedo abdominis multa; vita ſedentaria, otioſa vna cum victu prauo, copioſe ingeſto, potus calidi abuſu, habitaculis humidis; aeris temperies humida, diu perſiſtens; gemelli, foetus praegrandis, mola vna cum foetu exiſtens, vteri hydrops, aquarum foetum ambientium nimia copia, ad eam ſeriem cauſſarum fibrarum extenſioni nimiae fauentium, pertinent. Neruos debilitant: epilepſia, conuulſiones, malum hyſtericum, cet.; fibrarum debilitas inducitur: abortione praegreſſa poſt quam puerperii regimen neglectum fuit; hinc et puerperii partus praegreſſi ſiniſtra medela, qua, cum vaſa non ſatis aperirentur, ipſis non redditus fuerit debitus tonus. Vteri inaequalem extenſionem efficiunt, hinc parietem illius vnum alterumue debilem reddunt: ipſius vteri grauidi obliquus ſitus foetu transuerſo etc. ortus 47): vitia localia, vel vteri ipſius vt polypi, ſcirrrhi, cicatrices magnae ex obſtetricis in partu praegreſſo rudiori attactu 48) enatae; vel partium vicinarum vt tumores

tenſus maneat, imprimis ſi ad XIImum aut XIIItium menſem ſolarem a conceptione, pariendi terminus protraheretur, vti quidem Cel. ANTOINE PETIT in variis ſcriptis comprobare annifus eſt, editis ſub titulo: Recueil de piéces relatiues à la quéſtion des naiſſances tardives à Paris 766. 8vo. Mechaniſmus vero, quem pro fundamento opinionis ſuae ponit, nimirum fabricam ceruicis vteri peculiarem, fibrarum tractum geniculatum, indeque earum ſucceſſiuam euolutionem experientia anatomica probari nequit; immo argumentum ex illa fabrica deſumtum obſtetricantium obſeruationibus refutatur. E diametro illius viri ſententiae oppoſita eſt ea, quae defendit Cel. LOUIS. in Mémoire contre la legitimité des naiſſances tardives; avec un ſupplement; à Paris 764, qui PETITI argumenta ſolide refutauit.

47) ROEDERERVS, elementa art. obſt. §. 202. 450.

48) Si ignorantia eo vsque procedit, vt capite in peluis cauitatem poſt aqua-

res magni, v. c. ouarium tumidum etc. Vehementius quoque extenditur locus, vbi placenta adhaeret quum vaſa admodum dilatata tonum amittant, quam reliquus vteri paries. Peluis nimia amplitudo, quum partus acceleratio-ni faueat; illius anguſtia, quacunque de cauſſa demum oriatur, cum partum retardet eo quod nixus debiles reddat irritos, huc quoque pertinent.

Occaſionem morbo exhibent omnia ea, quae contractionem fibrarum vteri muſcularium retardant, vel inaequalem efficiunt: Labores ad partum grauiores 49), diuturni 50) licet DELEVRYE hanc cauſſam excludere velit 51), conuulſiones etc. vterum foetum expulſurum debilitant, adeoque illius contractiones retardant. Nixus lentos efficit ſanguis copioſius ad vterum affluens; vaſa enim diſtendit, debilitat, fibras muſculares vteri proprias comprimit, torpeſcentes reddit, a tergo autem continuo irruens vaſorum contractiones impedit; hinc atoniae occaſionem non leuem ſuppeditant: plethora, animi commotiones, potus ſpirituoſus, calefaciens, pellentia ad partum ſic dicta, clyſmata acria, violentiae externae etc. Vterus vero inaequa-

 liter

aquarum effluxum depulſo, obſtetricantes illius repulſionem violenta manu ſuſcipere non erubeſcant, exindeque vteri rupturam efficiant, (cuiusmodi caſus funeſtus ante quindecim circiter menſes Argentinae habebatur, culpa obſtetricantis forcipem deſpicientis productus) quid ni! et alias vteri contuſiones inferre poteſt, manus obſtetricis imperitae?

49) MAVRIC. obſ. 333. LA MOTTE obſ. 398.

50) MAVRIC. obſ. 230. Qua de cauſſa quoque LA MOTTE atoniam obſeruaſſe videtur, et quidem in partu ipſo ſtatim poſt aquarum effluxum, conf. eius obſ. 206. Poſt dolores ad partum diuturnos, ſper XXIV horas durantes, cum primis horis aquae effluerent, atoniam in puerpera obſeruaui incompletam quidem et imperfectam, nec diu durantem; foemina vero erat plethorica, ita, vt et breui ante partum venaeſectio inſtitueretur; robuſta; aetatis viginti quinque annorum; plurium liberorum mater. Funiculus vmbilicalis foetus collo bis circumiectus erat.

51) l. c. (43) §. 1000.

liter ſeſe contrahit, ſi partus iuſto celerius peragitur, ſiue a natura, ſiue arte id fiat [52]). Inaequalem porro, circum foetus membra, conſtrictionem poſt partum continuatam efficit praematurus liquoris amnii effluxus.

Corpora peregrina, poſt partum in vteri cauitate commorantia, v. c. ſanguinis coagulum vteri capacitatem replens [53]) vel et grumus, vel et ſanguis intra vaſa reſtagnans [54]), mola, placenta integra vel huius particula eaque adhaerens [55]) praecipue poſt foetus abortiui expulſionem relicta, immo placentae lenta, ob molem eius nimiam, expulſio [56]), ſi atoniam ſpuriam producere valent, vti obſeruationes teſtantur, atoniae verae, imprimis ſi vterus valde debilitatus eſt, occaſionem quoque praebere poſſunt.

§. IV.

Morbi Symptomata.

In omnibus atoniae vteri ſpeciebus, quas ad dilucidandas animum aduerti §. II. ſola excepta completa, haemorrhagia conſtituit ſymptoma primarium; completa autem tolli nequit, niſi in incompletam mutata fuerit. Quaecunque igitur in haemorrhagiis vteri profuſioribus, ab alia cauſſa pendentibus obſeruantur tormenta, ea etiam in iis, quae vteri denegatam contractionem ſiue atoniam pro cauſſa

52) LA MOTTE obſ. 399. obſ. pag. 923. ſq. Eiusmodi caſum, vbi partum iuſto celeriorem, in horae dimidae ſpatio peractum, atonia vteri lethalis ſequebatur, Excell. BOSE, praeceptor ſumme venerandus, mihi referebat.

53) Euentum funeſtum ob portionem placentae adhaerentem, haemorrhagiam excitantem, obque poſtea vaginae a foemina imprudente obturationem, vt inde ſanguinis ingens moles, in vteri cauitate coagulati, eam penitus repleret, LA MOTTE narrat in obſ. 392.

54) ROEDERERVS l. c. (47). §. 202.

55) LA MOTTE obſ. 393.

56) Vti ipſe obſeruaui in primipara ceteroquin vegeta, robuſta, conf. Not. 94.

cauſſa proxima agnoſcunt, miſeram affligunt, niſi quod ob partis affectae hoc tempore conditionem absque dolore 57) ſanguinis torrens erumpat; ob quam quoque ſymptomata, maxime terrentia citiſſime ſeſe excipiunt. Puerpera igitur, poſt foetus felicem expulſionem quieta, hilaris 58) viſa, facie pallet, animi deliquio afficitur; pulſus debilitas, intermiſſio, virium proſtratio ſubitanea, oculorum obnubilatio, ſcintillae, aurium ſuſurrus tinnitusque, horror, frigus, loquelae amiſſio, artuum tremores, tendinum ſubſultus, conuulſiones, et tandem, niſi cito mederi malo obſtetricans poſſit, omnis miſeriae finis, mors, ea ſunt, quae haemorrhagiam hanc profuſiſſimam, paucarum minutarum ſpatio comitantur ſequunturque. Paralyſin praecedunt laſſitudo, vertigines, partis torpor; ſubſequuntur vteri pondus, virium deiectio etiam absque haemorrhagia ſi atonia haec exiſtit, neruorum aliarum partium reſolutio.

§. V.

57) Si mali vehementiā, indeque ſubita virium proſtratio ſubſequens, dolorum ab aegra percipiendorum ſenſationem non redderent dubiam, ſanguinis a partu absque dolore copioſior profluxus inter ſigna atoniae certiſſima locum mereretur, vti de ſuperfluitate menſtruorum ex vteri debilitate perſpicaciter iudicat AVICENNA Fen. XXI, Tract. III. Cap. III. de ſignis ſuperfluitatis menſtruorum: *Factam vero cauſſam debilitatis matricis et apertionis venarum eius ſignificat exitus ſanguinis puri non dolorem faciens.*

58) Hic ſtatus mox a partu praeſens ſemper ſuſpectus mihi videtur, conditioni enim puerperae non adaequatus eſt. Foemina nimirum doloribus cruciatibusque ante et ſub partu vexatur, ſanguinis motus vehementer intenditur, (quod et pulſus ante partum ſaepe celerrimus, vt et ſudor erumpens denotant), parturiens anxia redditur, qui vero effectus adeo cito quieſcere nequeunt; quod ſi tamen motuum ſedatio ſubita contingat, cauſſa alia adſit neceſſe eſt, quamque equidem inuenio in depoſitione copiae ſanguinis maioris in vteri vaſa admodum ampla, indeque congeſtio, verſus partes ſuperiores antea facta, tollitur, atque motus vitales cito ſatis liberi redduntur.

§. V.

Atoniae ſigna.

Malum praecognoſcitur ex cauſſarum paragrapho tertia recenſitarum praeſentia atque nixuum debilitate; ſi poſt aquarum effluxum lenti fiunt, ſi penitus ceſſant 59), quo temporis ſtadio tamen augeri deberent, ſi haemorrhagia parcior apparet, imprimis ſi abſunt aliae cauſſae nixus debilitantes conf. §. VI. atonia in partu ipſo metuenda eſt. Vteri volumen absque contractione ſub pariete abdominali poſt foetus expulſionem, immobile 60) molle perceptum, vna cum placentae firmiore adhaeſione, vel illius ſubito ſubſequente excuſſione, e genitalibus ſanguinis profluuium 61) quod animi deliquia, virium proſtratio etc. ſequuntur, atoniae poſt partum totalis exhibent indicia. Notio autem atoniae vteri poſt partum ortae optima habetur per explorationem, ope manus in vterum ductae, factam. Atoniae partialis ſigna itidem ſumuntur ex ſanguinis profluuio diu, continuo, copioſe obuio; animi deliquia, cum antea hilaris fuerit puerpera, inaequalis, ſacciformis vteri conſtrictio, introducta manu detegenda, eam quoque exprimunt; ſi addis corpus peregrinum, placentam vel ſanguinis grumum in vtero repertum, ea habes ſigna, quae atoniam ſpuriam denotant. Paralyſis cum ventris grauitate, vteri torpore, pondereque, virium proſtratione, atque omnium dolorum ad partum ceſſatione accidit.

§. VI.

59) LA MOTTE obſ. 206.

60) Vterum poſt expulſionem foetus felicem ſeſe contrahere ita, vt manus hypogaſtrio impoſita illius, in globum duriorem, ſenſim ſenſimque ſubſidentis motum conſtrictorium percipere poſſit, obſtetricantibus notum eſt.

61) Non quiuis tamen a partu largior ſanguinis effluxus terrere debet, cum illius copia, poſt placentae ab vtero ſolutionem profluens, pro eius acceleratione

§. VI.

Atoniae diagnoſis.

Atoniae vteri puerperarum diagnoſis cum illius ſpecierum inter ſeſe, tum eas inter atque alios morbos vterum male habentes, facilis eſt, quum manus obſtetrix omnem vteri conditionem indagare poſſit. Completa ab incompleta ſanguinis profluxu diſtinguitur, qui in illa deeſt ob placentae adhaeſionem integerrimam. Atoniae parturientium ſpeciem quamlibet accuratius diſtinguere adeo neceſſarium non eſt, cum, vel haemorrhagia apparente, vel nixibus deficientibus, vna eademque indicatio formetur: foetus nimirum educendus eſt; quomodo autem differat ab vteri vaſisue maioris ruptura, gangraena et placentae praematura auulſione dicendum eſt, cum indicationes exinde formandae inter ſe non ſemper conueniant. Placentae ſub partu auulſio et vaſis maioris diſruptio, ſanguinis torrens effundatur efficiunt, vna cum doloribus ad partum perſiſtentibus; in atonia hi deſunt. Vteri ruptura imminens, praeter alia ſigna, dolores ad partum ferociores offert, abdomen et puerperam ipſam exagitantes, vna cum ſede angoris in vtero fixa [62]); atonia autem appropinquante nixus ſenſim debiliores fiunt, abeſt quoque dolor fixus. Vtero rupto omnes vtplurimum ceſſant nixus [63]) et quidem ſubito, aegra animo linquitur, ſanguinis torrens, niſi foetus caput illi viam praecludat, effluit, aut in abdomen cum grati caloris ſenſatione effunditur, venter attollitur, vterus a

D foetu

leratione retardationeue, pro puerperae habitu laxiori ſtrictioriue, pro ſtatu puerperae plus minusue plethorico, pro ſanguinis denſitate tenuitateue vel acrimonia, pro partus ipſius duratione, varia habeatur.

62) CRANZ l. c. (22) §. 14.

63) IDEM. l. c. §. 15.

foetu ſurſum truditur etc.[64]); atonia vero orta, nixus quidem extinguuntur, quod vero non ita ſubito fit[65]); ſymptomatum eam concomitantium, vel alia prorſus ſeries eſt, vel ſaltem non tanta vehementia, quanta poſt rupturam, obſeruatur. Aliquando etiam foetus, vtero rupto, in abdomen transgreſſus, diagnoſin reddit facillimam. A gangraenoſa vteri affectione atoniam diſcernere, ſi libet, facilius potes, niſi rerum copiam ſine neceſſitate augere, in re ſeria ludere, et cum SERINO[66]) gangraenam lentam[67]) ante partum praeexiſtentem aſſumere velis; praeter id vero, quod effectus in ea occurrentes triſtiſſimi, etiam ex ſanguinis infectione orti, in atonia non obſeruentur, cauſſae gangraenam in matrice producentes longae aliae ſunt, quam quae atoniam generant.

§. VII.

Prognoſis.

Prognoſis partim ex cauſſarum maiore minoreue efficacia, partim ex morbi vehementia eiusque duratione, nec non ex ſymptomatum plus minusue ferociorum praeſentia, deſumitur. Atonia vteri, licet leuiſſima nunquam periculo caret, ob humoris nimirum vitalis profuſionem; interim vt vt grauiſſima exiſtat, de ſalute aegrae non deſperandum eſt, cum ſaepius, modo obſtetricans animi praeſentia praeditus ab initio adſit, medelam admittat. Vteri non grauidi

64) IDEM. l. c. § 15. 17.

65) Si etiam ob motus conuulſiuos, nixus fortiores praecederent vteri paralyſin, et cauſſarum ſcrutinium, et ſymptomatum aegram vexantium alia ſeries, ambiguitatem in prognoſi relinquere non poſſunt.

66) Conf. not. 25. Idem eſt qui partum, in diſſ. ib. cit. deſcriptum, adminiſtrauit.

67) Quae ſi vnquam in vtero exiſteret grauido, diagnoſin atoniae parientium redderet dubiam.

grauidi laxitas inſignior, niſi abortionem efficiat [68]), atoniae metum iniicit. Quo maior autem fibrarum laxitas earumque extenſio, quo peior humorum pituitoſa conditio, eo maius imminet periculum. Paralyſis vteri, niſi vires neruorum cito ſatis excitari queant, lethalis. Incompleta exquiſita atonia periculoſior quam completa; immo, niſi cito illi mederi poſſit obſtetricans, ſubito lethalis; maturius enim mors ingruit, quemadmodum cum quis animal iugulat, cum ſemel anhelando puerpera ſaepius extinguatur [69]). Idem fere valet ſi completa in incompletam tranſit [70]). Medelae diutius reſiſtit completa, eaque exquiſita, quam incompleta et imperfecta. Partialis atque ſpuria, modo obſtetricans rei gnarus adſit, periculoſae adeo non ſunt; attamen, niſi auxilium cito ſatis ferri poſſit, aeque ac totalis et vera momentoſae, immo lethales. Atonia diu perſiſtens, ac effuſo, non quidem ad mortem vſque, multo ſanguine, in morbos alios, aduerſus medelam non minus quam atonia ipſa rebelles, puerperam praecipitat; deliria enim, cachexiam, hydropem, leucophlegmatiam, febrem hecticam, phthiſin, paſſionem hyſtericam exinde enaſci poſſe, nullus dubitabit. Frigus, oculorum obſcuratio, tremores artuum, conuulſionum prodromi [71]) accedentes, malum; Conuulſiones ipſae vero, ſanguine multo effuſo [72]) ſubſequentes, cum tanquam grauiſſime vulnerata conſideretur eiusmodi puerpera, lethale [73]) exhibent praeſagium.

 PARS

68) HIPPOCRATES aph. 62. Sect. V.

69) Triſtem eiusmodi euentum vidit Excell. BOSE. conf. not. 52.

70) Quia nunc placenta ex parte ſoluta, adeoque vaſa vteri hiantia deprehenduntur.

71) HIPPOCRATES praedictor. lib. I. Sect. XV. No. 11. 13. Tom. I. pag. 480.

72) IDEM aphor. 3. 56. Sect. V.

73) Coac. praenot. Sect. III. No. 81. Tom. I. pag. 554. aph. 2. Sect. V.

Quam-

PARS ALTERA SPECIMINIS
DE ATONIA VTERI
PRACTICA.

§. VIII.

Cura prophylactica in grauiditate.

Maximi momenti, vti in omni morbo auertendo prophylaxis eſt, ita et hic ſummam requirit attentionem, imprimis cum foeminarum mollities, debilitas peruerſaque viuendi ratio noſtris temporibus adeo ſolemnes ſint. Illa autem verſatur partim in corrigenda immutandaue, quantum poſſibile, praediſpoſitione, partim in auertenda occaſione; hanc indicationem in paragrapho ſequente, illam in hac ſectione dilucidaturus. Si igitur laxitas, humorum ſpiſſitudo, ſi fluor albus aliaque mala vteri imbecillitatem, neruorumue debilitatem inducentia, a grauiditate non pendentia in ea tamen adſunt, eadem fere valent praecepta, quae ad morbos iſtos in non grauida curandos proponuntur; eo tamen reſpiciat medicus, ne nimis draſtica adhibeat, nec indicationes, conditioni aegre contrarias [74]), formet,

Quamuis hi loci aliam quoque admittant explicationem, puerperae conditioni non adeo accommodatam, dictum nihilominus verum eſt; Conuulſiones ex inanitione lethales.

74) e g. Lues venerea inueterata in grauida debili, vltra geſtationis medium iam progreſſa, radicitus tolli nequit, quum lympham nimium attenuando foetui nutrimentum debitum detrahamus, monente iam MAVRIC. in obſ. 100ma; caſus rarior, vbi ſaliuatio octauo grauiditatis menſe feliciter peracta fuit, vid. MAVRIC obſ. 23. aſſerti veritatem non infringit. Primis vero grauiditatis menſibus radicitus curatam fuiſſe luem veneream, plures teſtantur obſeruationes. IDEM obſ. 71. 100. 138. HILDANVS obſeruat. chirurg. Cent. V. obſ. 97.

formet. Grauida euitet occaſiones laxitatem fibrarum inducentes §. III; aeris temperies humida diu perſiſtens, vaporibus ſiccis in conclaui excitatis corrigatur. Medicus laxitatem in grauida curaturus eius diaetae regimen accuratiſſime inſtituat; alimentorum quantitatem et qualitatem, nec non cibandi tempus grauidae conditioni accommodet; corporis exercitium moderatum in aere puro, ſereno, ſubfrigido, matutino ſuadeat; ſomnum noctu non adeo protractum, ſed in die per horam vnam alteramue captum, concedat; excretionum, imprimis illius inſenſibilis et alui, rationem habeat; animi pathemata ita dirigat, vt affectus omnes triſtes pariter ac nimis feroces euitentur, gratiores vero et aliquando fortiores, v. c. leuis iracundia, excitentur, quibus humorum motus iuſto tardior acceleratur, per vaſcula minima promouetur niſusque fibrarum debilis adaugetur. Balnea frigida, ſi eis adſueta eſt grauida, adhibeantur. Frictiones corporis, circa abdomen vero leniſſimae, inſtituantur. Sacculi herbarum aromaticarum, anodynarum, v. c. ſerpilli, thymi, pulegii, florum chamomillae, anthos, ſambuci, immo fotus roborantes, adſtringentes [75]) ex cortice peruuiano, granatorum, floribus balauſtiorum, ex vino rubro, vel e foliis aliisue quercus partibus ex aqua chalybeata coctis, parati, cum leni abdominis adſtrictione applicentur, quo et calor naturalis augeatur, et fibris robur concilietur; qui etiam in vteri laxitate partiali valent. Abdominis pinguedo in grauida forte rarius occurrit, ſi vero exiſtit, arte difficulter conſumitur; interim lenes abdominis ſtricturae cum fotibus aromaticis leniter adſtringentibus valent, quibus humores mobilio-

 bilio-

75) *Partes infra vmbilicum adſtringentibus fouere in vteri laxitate*, iam praecepit HIPPOCRATES lib. II. de morb. mul. Sect. 51. No. 17. Tom. II. pag. 534.

biliores et vaſa robuſtiora, ad reſorptionem aptiora redduntur. Humorum ſpiſſitudo ptiſana leniter reſoluente, confortante, perſpirationem iuuante, interpoſita interdum aluum purgante medicina, vel, ſi tempus permittit, exhibitis ſuccis herbarum recentium aluum leniter ducentium, corrigatur. Vaſorum vterinorum infarctio, ex malo puerperii praegreſſi regimine pendens, fluxu menſtruorum poſt puerperium inordinato aliisque ſignis cognoſcenda, quae ſi abortionem non producit, diſpoſitionem ad atoniam veram poſt partum, aut etiam ad ſpuriam poſt abortionem, ſiſtit, aperientibus et ſupra dicto grauidae regimine tollatur. Si autem venter admodum intumeſcat, grauida ceteroquin habitu viuidiore praedita, neque gemellorum ſigna 76) adſint, neque molae vna cum foetu praeſentis ſuſpicio 77) peluis vero rite conformata ſit 78), medicus aquarum

76) Gemellorum ſigna ab autoribus olim adducta, vt pedum, crurum, femorum, vuluae labiorum oedematoſa intumeſcentia ſolita maior, varices copioſiores tumidioresue, linea depreſſa abdomen a ſcrobiculo cordis per vmbilicum ad pubem vſque in duas fere aequales partes diuidens, attentionem non merentur. Vnicum autem, omnium certiſſimum, motus nempe in vtroque abdominis latere, vno momento, ſed diuerſus, manibus abdomini impoſitis illud comprimentibus, perceptus, variis adhuc ſubiectum eſt difficultatibus; hinc in eiusmodi caſu medicus ab omnibus vehementioribus abſtineat, et circumſpecte, omnia probe conſiderando, agat; quae tamen ad vteri tonum ſeruandum adhiberi poſſunt, non negligat.

77) Lectu dignam obſeruationem, vbi molae vna cum foetu praeſentis diagnoſin rite poſuit, adeoque regimen in hoc caſu aptiſſimum ordinauit, ſagaciſſimus morborum ſcrutator, MORGAGNVS, deſcribit in ſuo egregio opere, vid. epiſt. anat. med. pract. XLIIX. art. 9.

78) Si enim apertura peluis ſuperior nimis anguſta exiſtit, vterus grauidus ſolito magis et quidem citius attollitur, vt exinde valde intumeſcere videatur. Signum de ea peluis conditione certiſſimum eſt anamneſticum, nempe ex partu praegreſſo; in prima vice grauida autem conformatio trunci circum pubem et os ſacrum, ſitus vteri grauidi, vna cum exploratione per tactum probabilem ſaltem diagnoſin exhibent.

rum foetum ambientium copiam nimiam, aut vteri hydropem cognoſcens, indicationes ſuas formet, vt vteri tonum per diaetam ſicciorem, corporis in aere ſicciore moderatum exercitium, per confortantia, aluum purgantibus interdum interpoſitis, et per ſacculos herbarum, ventri impoſitos, ſeruare, malumque auertere poſſit. Vteri obliquus ſitus, cum vix mutari poſſit, in partus adminiſtratione demum erit attendendus; interim, faſcia abdomen leniter conſtringere durante grauiditate, iuuabit. Peluis peruerſa conformatio immutari nequit, hinc in paragrapho ſequente attendi meretur.

§. IX.

Cura prophylactica in partu adhibenda.

Praediſpoſitio ſi inuerti non potuit, aut ſi prophylaxis in grauiditate neglecta fuit, omnis occaſio euitetur neceſſe eſt. Indicationes ſunto: Partus iuſto celerior impediatur; iuſto diuturnior euaſurus acceleretur. Illa indicatio vteri contractionem debite procurandam, haec vero ſimul virium conſeruationem pro obiecto habet. In omni igitur caſu LEVRETI praeceptum obſtetricans iudicioſus ſequi haud poteſt, qui regulas (*id quod pace celebris viri dixerim*) in hoc caſu datas non ſatis limitauit, dum primam indicationem ſolam explanat. Praecipit nimirum: *vt, quamprimum dolores ad partum incipiant, parturiens decumbat; Et membranae iuſto citius rumpantur* 79) *quo aquae ſenſim ſenſimque effluere poſſint* 80). Poſterior autem regula

79) Suite des obſ. art. IX. pag. 451. No. 1. 2. quas regulas quoque adoptauit HVGVENIN. l. c. (29) pag 28.

80) l. c. No. 2. *et par cette méthode réfléchie, on ſera le maître de procurer par dégré leur* (des eaux) *écoulement, et conſéquement de donner à la matrice le tems de ſe contracter peu à peu* Sed, quo pacto LEVRETVS aquarum effluxum in poteſtate

la ſolummodo valet ſi peluis nimis ampla, aut foetus caput paruum eſt, nixusque haud debiles vrgent, quae momenta obſtetricans exploratione per tactum optime cognoſcit; in omni vero alio caſu inutilis eſt, immo nocet eo, quod partus retardatione atonia producatur, imprimis ſi parturiens laxitate, vel obliquitate vteri laboret. Aquarum vero iuſto citior effluxus quantum retardet partum et experientia eorum, qui partus naturalis mechaniſmum ſaepius obſeruarunt, probatur, et mechaniſmi ipſius conſideratione [81]) intelligitur. Prior regula, qua ſitum parturientis horizontalem [82]) (quem intelligere LEVRETVM vix dubito) proponit, in vno tantum caſu locum inueniet: nimirum quando parturiens vegeta, viribus ipſa partum acce-

poteſtate habeat, ſi membranas iuſto citius diſruperit, non video; eo enim tempore caput foetus adeo profunde in peluim nondum depulſum eſt, vt occludendo viam aquarum exitum prohibere poſſet, quo inde vterus ſeſe contrahendi tempus haberet.

81) Vterus circa ouum integrum ſeſe contrahens in omnia huius puncta (excepta ea parte quae ex orificio vteri prodit) aequali vi nititur; veſiculam ex orificio, hoc quidem renitente attamen impulſioni et dilatationi cedente, protrudit; veſicula compreſſilis viam capiti ſubſequenti pandit; quo facto illa diſploditur, aquarum maxima pars effluit, caput paulatim accuminatum profundius deſcendit, partes vlterius dilatat, viam praecludit ita, vt aquae portio circa foetum reſtet atque ſuperficiem, in quam vterus, viribus quaſi denuo excitatis, nititur, adhuc aequalem ſeruet. Si autem aquae iuſto citius emittuntur, priusquam orificium vteri ſufficienter dilatatum eſt, caput partes molles, nimis adhuc contractas, penetrare et portam occludere nequit; omnes igitur effluunt aquae, vterus circa foetum ſeſe contrahens in inaequalem nititur ſuperficiem; preſſio autem inaequalis, adeoque debilior, volumen capitis nondum acuminati magnum in aperturam orificii vterini adhuc paruam, depellere non valet; orificium vero reſiſtens quidem protruditur non tamen dilatatur, quia cuneus deficit. Nixus porro, ob laborem nimium, vel quoque ex vteri laxitate, debiles ſenſim magis infringuntur, tandem deſinunt, et vera oritur atonia.

82) In ſitu horizontali muſculi abdominales tenſi commode agere nequeunt; nixus ergo debiliores, nequidem cum peluis axi reſpondentes, inutiles prorſus euadunt.

accelcratura eſſet, quam ob rationem tempus ſeſe contrahendi vtero non daretur; haec igitur iam ad primam, ſupra exhibitam, indicationem ſpectant, quae nunc vlterius explananda eſt. Si peluis ampla nimis vel foetus paruus exiſtit, ſitus eligatur ad partum aptus, ne, muſculis omnibus quidem libere agentibus, omnis foetus preſſio verſus peluis aperturam inferiorem dirigatur. Ne porro, elapſis vna vice aquis, vterus relinquatur iners, illarum effuſio, vti recte monet LEVRETVS, *gradatim* procuranda eſt, et quidem rumpendo membranas, poſt ſufficientem demum orificii dilatationem, non eo in loco vbi veſiculam formant, ſed paulo altius; quo artificio obtinetur id, vt vteri volumen ſenſim in ſe redire atque veſicula, ſemper perſiſtens, orificium vlterius dilatare poſſit. Si nihilominus partum nimis accelerari videtur, vola manus perinaeo appoſita capitis egreſſum retardat celeriorem; quo artificio quoque efficitur, vt vterus, a foetu reſiſtente irritatus, ſeſe melius conſtringere poſſit. Non leuioris ponderis eſt altera indicatio, a LEVRETO tamen neglecta; nam alia ſane partus adminiſtratio requiritur, ſi proportione iuſta caput inter atque peluim exiſtente, nixus debiles illud propellere non valent, imprimis ſi obliquitas vteri, vel iniquus capitis ſitus ſimul obſtat. His obſtetricans rei gnarus ex artis regulis medetur. Nixus vero debiles ſi vaſa a ſanguine turgida vteri contractiones impediunt, venaeſectio in brachio inſtituta fortiores reddit; aquarum ingens moles, niſi cito ſatis proſiliat, cautela ſupra dicta adhibita emittatur. Si autem adeſt vera vteri imbecillitas, laxitas, virium debilitas, cardiacum exhibitum, frictiones abdomini illatae, orificii vterini lenis irritatio [83]) nixus validiores efficiunt. Aliud igitur LEVRETI praeceptum, *poſt placentae extractionem*

 demum

83) PVZOS l. c. (35) pag. 224.

demum [84]) ſequendum, quo tempore nimirum *ventris frictionem* [85]) *ope manuum peragendam* [86]) ſuadet, longe citius optimo conſilio ſequi poteſt obſtetricans; vtpote ſtatim ab aquarum effluxu, quo vterus debilis, laxus, eo tempore ad contractionem ſtimuletur, ne in extenſione perſiſtat ea, qua fuerat antequam aquae proſiliebant [87]). Vna cum iſtis frictionibus quoque fomentationes ex aceto calidiores abdomini applicari poſſunt. Quamdiu autem dolores ad partum, vt vt debiliores adſunt, neque alia vrgent ſymptomata [88]), neque foetus vita periclitatur, neque alia dantur obſtacula, vteri viribus inſuperabilia [89]), foetum arte educere in noſtro caſu non licet, cum illo in vtero haerente huic ſtimulus ad contractiones inferatur; quo autem educto, vterus prorſus iners reſtat. Capite egreſſo, niſi vterus ſeſe conſtringens (quod etiam manus ventri impoſita percipit) truncum ſenſim protrudat, foetus non ſtatim protrahatur, ſed, iunctim interim adhibitis ſupra dictis auxiliis, per interualla educatur. Quando autem funiculi circa foetus collum conſtrictio, eius contractionem exigeret [90]), metho-

84) *En faiſant enfin, dès qu'on aura délivrée l'accouchée* etc. l. c. (79) pag. 452 No 5.

85) Frictiones atque contrectationes, ope manuum abdomini inferendas, licet vteri fibras immediate non tangant atque ſtimulent, illius contractiones reddere validiores dubium non eſt; mediate enim vteri volumen afficiunt, atque muſculorum abdominalium actionem augendo, eandem vteri pariter excitant.

86) LEVRET. l. c.

87) LA MOTTE obſ. 206

88) Placentae partialis ſolutio ſanguinis torrentem profundens, nixuum debilitas, virium depreſſio non facile excitanda, conuulſiones parturientem excruciantes, aliaque huius generis mala obſtetricantem determinant.

89) Peluis anguſtia aliaue mala conformatio, foetus praegrandis, gemelli ſi vires labeſcunt, foetus ſitus peruerſus etc. artis auxilia poſtulant.

90) Compreſſis enim venis iugularibus foetus periret apoplecticus; funiculi diſciſſio fieri nequit, quum foetus nondum reſpirans, ob circuli ipſum inter atque matrem intercedentis interceptionem, moriretur.

thodo a DE LEVRYE propoſita [91]) educatur; eadem valet methodus, ſi caput ob nixuum defectum viriumque debilitatem, forcipe ſoluendum ſit, et funiculus collum ſtringat. Melius enim eſt forcipe vti, quam vires depreſſas excitantibus fortioribus erigere, vtpote quae ſequelas redderent funeſtas. Reliqua momenta, quae poſt hanc foetus eductionem, vtpote quae atoniam praeſupponit, obſeruanda ſunt, in paragrapho duodecima traduntur. Si autem foetus verſione educendus eſt, pariter lente et per interualla id fiat, vſque dum ad axillas protractus ſit; caput enim vltimo naturum in omni caſu, quam citiſſime ſoluendum eſt. Quauis methodo demum foetus educatur, abdominis frictiones, contrectationes atque fomentationes, operatione durante atque peracta, negligendae non ſunt, imprimis cum placenta adhaerens reſtet, quae vterinis contractionibus denuo excitatis excuti oportet, vſque dum, cohaeſione cum vtero laxiore reddita, tractionem in funiculo leniorem [92]) ſequatur; quae, ſi ob nexum arctiorem nondum educi poteſt, eius excuſſio, niſi haemorrhagia inſignis oborta eductionem exigat, vteri viribus eſt committenda; quibus, puerpera in lectum repoſita, linteis oxycra-

E 2 to

91) l.c.(43) §. 628. ſq.: Caput e vulua protruſum verſus inguen illud matris ad quod foetus facies magis ſpectat, reclinare faciemque ibidem apprimere, altera autem manu foetus truncum in linea ſemicirculari ita (et quidem in noſtro caſu lente et per interualla) extrahere iubet, vt foetus protractus ſecundum longitudinem femoris matris dependeat; qua methodo funiculus non amplius adſtringitur, immo, rite obſeruata cautela, laxior redditur.

92) Si tanquam periculoſa reiicienda eſt placentae ſtatim poſt partum naturalem ſolutio artificialis, vti bene iam perſpexit et ſolide demonſtrauit ſagax PVZOS. vid. eius eximium opus: Traité des accouch. a Paris 1759. 4to. pag. 144. in quo tamen caſu vterus ſeſe rite contrahere poteſt, eo minus illa excuſſio eſſet concedenda in noſtro caſu, dum vterus laxus, debilis vaſa, cum illis placentae reſpondentia, poſt huius ſolutionem hiantia relinquat.

to madidis ventri appoſitis perque faſciam leuius adſtrictis ſuccurratur. Quae autem peragenda ſint, ſi atonia poſt partum demum oriatur, aut ſi ea vteri inertia, auxiliis durante partu adhibitis non obſequens, atoniam poſt illum producit, indicatione ponderata exponam.

§. X.

Indicationis inuentio.

Foetu excluſo, ſi ex ſignis paragrapho V[ta] adductis atoniam vteri adeſſe obſtetricans cognoſcit, immo differentiam ex paragrapho VI[ta] perſpicit, vel denique, ex corporis peregrini in vtero commoratione, ſpuriam exiſtere colligit, indicationes certas firmas formet, ne, in re adeo ſeria ludendo, puerperae vitam in praecipitium det. Primaria indicatio, quam in quacunque mali puerperis infeſtiſſimi ſpecie ſequi oportet obſtetricans, cauſſalis eſto, licet ob debilitatem virium ſummam aeque ac illa vrgeret vitalis 93), i. e. omni ſtudio fibrarum in extenſione conſtitutarum contractio eſt procuranda, quocunque demum modo ea obtineri poſſit, quo vaſa hiantia claudantur, atque ſanguinis torrens cohibeatur. Licet autem methodus variis atoniae poſt partum ſpeciebus medendi, vt ſuo loco dicetur

93) Axiomata Summorum Virorum vti BOERHAAVII, conf. inſt. med. §. 1086. No. 7. et b. LVDWIGII, inſtit. therap. gen. §. 37. No. 2. quidem contra me habeo; interim non primus diſſentio, cum iam Excell. KRAVSE, praeceptor ſumme venerandus, in praelectionibus therapeuticis in BOERHAAVII librum dictum axioma (vti et eiusdem paragraphi et paragraphorum praecedentium plura alia, quae iudicioſus lector facile inueniet) ita limitaret: ſi nil repugnat, aut ſi non exinde maior in corpus redundat noxa, probationisque loco adderet exemplum grauiſſime vulneratorum. Licet vero, quod in vteri atonia indicationem vitalem aliam etiam ob rationem ac in grauiſſime vulnerato paululum relinquere debeat obſtetricans, aſſertum tamen reddi nequit dubium.

tur, diuerſa ſit, indicatio cauſſalis tamen primaria eſſe oportet. Aſſerti veritatem optime probat atoniae ſpuriae, a corporibus peregrinis in vtero relictis ortae curatio, quam igitur vna cum atoniae partialis medela, vtpote quae cum illius cura multum conuenit, primo loco exhibebo. Indicatione cauſſali rite ac debite obtenta, vitalis attendenda eſt, quae, profligato malo ferociore, cum ſymptomatica coincidit. Tandem et curatoria medici iudicium exerceat, qua vtero debili, laxo ſua elaſticitas firmitasque, vaſis autem obſtructis permeabilitas reddatur, quo ad alium conceptum atque grauiditatem ille aptus maneat. Haec indicatio puerperio durante attendenda eſt.

§. XI.

Atoniae ſpuriae et partialis verae curatio.

Sanguinis grumus, placenta integra, vel particula a partu in vtero remanentes, ſi atoniae ſpuriae ſpeciem producunt, ſolius obſtaculi remotione ea tollitur. Si vero placenta cum vtero adhuc cohaeret, ſaepe accidit, vt locus adhaeſionis extenſus reſtet iners dum vteri volumen ſeſe conſtringat, adeoque placentam quaſi in ſaccum peculiarem 94) recondat; quae vteri inaequalis conſtrictio, ſiue partialis

94) De placentae incarceratione vix non omnes recentiores artis obſtetriciae autores egerunt: HEISTER Inſtit. chirurg. cap. 155. SMELLIE cum clepſydra comparat, l. c. (12) pag. 248. eamque obſeruatam deſcribit in Recueil XXIII. obſ. IV. VI. Tom. II. pag. 456. ſeqq. Franco Galli eam vocant placenta enkiſté de qua LEVRETVS fuſius egit, Suite §. VII. pag. 125. ſqq. Cum vero ſua cuique placeant, et mihi liceat propriam addere obſeruationem: *Primipera habitus ſucculenti, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, cuius venter admodum tumebat, die XIIItia menſis Febr. huius anni, hora poſt meridiem dolores ad partum veros ſentiebat. Hora Vta dolores fortiores facti orificium vteri ad Ioachimici magnitudinem dilatabant, veſicula magna prodibat. Peluis et capi-*

tialis atonia vera effici poteſt ex loci, ad quem placenta adhaeſit, turgeſcentia inertiaque. Manu altera in vterum ducta eius parietes vndiquaque leniter extendantur, placenta ſi adhaereat, appoſita e regione abdomini altera, vel adſtantis, manu, excutiatur [95]); grumi ſanguinis educantur,

capitis diametris quamuis ſibi proportionatis, hoc tamen in illius cauitatem non depellebatur, perſiſtentibus etiam nixibus fortioribus, ſed, ob aquarum nimiam copiam vix retro pubis ſymphyſin digito attingi poterat. Membranis arte apertis aquarum ingens copia proſiliebat; nixus nunc validiores facti caput in pelvim depellebant, ita, vt poſt horae dimidiae ſpatium expelleretur. Puella vegeta, robuſta a Commilitone, partum adminiſtrante, protrahebatur, et vteri ſeſe conſtringentis volumen infra vmbilicum percipiebatur; puerpera hilaris, ioculans puellam recipiebat; parca ſequebatur haemorrhagia, quam pro ſigno ſolutionis placentae ab vtero obſtetricans habens, funiculum trahebat, placenta interim non ſubſequente. Haemorrhagia mox vehementior fiebat, hinc manu in vaginam immiſſa placentam, retro vteri orificium forte reſtantem nimis magnam, ibique etiam inuentam torquendo extrahere cupiebat, quae tamen fortius reſiſtebat. Sanguinis profluuio aucto, atque animi deliquio accedente, Commilito negotium mihi committebat. Manu inducta ſtatim placentam molis praegrandis offendebam, cum vteri parietibus contiguam. Digitis interiectis eam ſoluere tentabam, qui vero, vteri parietem conſtrictum dilatando, facile in amplius gliſcebant ſpatium, in fundum vteri ipſum, ad quem placentam firmius adhaerere percipiebam. Qua rite ſoluta, integerrimeque educta, adhibitis ſimul poſtea dicendis auxiliis, vterus cito ſatis ſeſe conſtringebat, ita, vt poſt aliquot minutarum ſpatium haemorrhagia penitus ſiſteretur. Puerperae debilitatae iuſcula tenuiora, interpoſito copioſo infuſi theae potu, exhibere curabam, quietemque ſummam imperabam. Dolores capitis ſuperuenientes lochiis per noctem copioſe prodeuntibus tollebantur. Atqui haec, quae a me commemorata ſunt, vna cum clyſmatibus iniectis, ad febris lacteae impetum minuendum non parum faciebant; vix enim horrores ſentiebat puerpera, quae tamen puellam vegetam abundanter lactare poterat, atque optime conualeſcebat.

95) SMELLIE Tom. I. pag. 245. ſqq. Recueil XXIII. des cas où l'on a de la peine à délivrer le placenta. Tom. II. pag. 453. ſqq. ROEDERERVS l. c. (47) § 349. 348. No. 3. §. 359. DELEVRYE l. c. (43). §. 859. ſqq. Nollem tamen PLENKII praeceptum ſequi, *in ſeinen Anfangsgründen der Geb. H.* edit. 1774. pag. 358. datum; qui ex male intellecta LEVRETI praeſcriptione: *quod obſtetricans placentam digitis ſoluere*

tur, quo ſaccus extenſus per digitos leuiter irritatus, vna cum reliquo vteri pariete quoque aequaliter dilatato [96]), ſuper pugnum ſenſim retrahendum, adhibitis ſimul externis ventris frictionibus, ſeſe conſtringere et haemorrhagiam cohibere poſſit. Clyſmata vterina ex aqua tepida, vel cui herbae traumaticae [97]) incoctae fuerint, parata, vaſorum vterinorum infarctum tollunt, putridum eluunt, et fibris robur reddunt. Spuriam quoque ſupra vocaui eam atoniam quae a nimis praecipitata vteri contractione oritur. Quamuis autem vteri paries vndiquaque extenſus maneat, ſimilem tamen ac partialis atonia medelam poſtulat; niſi aliquando ea quoque remedia in ſubſidium ducenda ſint, quae in paragrapho ſequente proponantur. Omnia auxilia atque cautelae, quae aduerſus atoniam partialem ſpuriam adhibentur, quoque valent ſi coagulum molis maioris, totam vteri cauitatem replens, illum a contractione impedit; digitis enim diſcerptum aeque facile educitur. Mola, quae ſaepe firmius cum vtero cohaeret quam placenta, ſuſpenſa manu excutienda eſt. Illa autem aliquando mediante pedunculo

ſoluere debeat quaſi malum aurantium decorticando; eodem nimirum modo vti culter corticem inter atque malum ipſum, ita quoque digiti placentam inter atque vterum mouendi ſunt (docente iam PORTALIO, pratique des accouch. à Paris 1685 8vo. pag. 356.), iubet *trahendo* (quaſi pellem de lepore) *placentam excutere.* Qua autem methodo placenta firmius adhaerens, niſi diſrumpatur, portiunculae tamen, vteri contractionibus aduerſae, relinquuntur. Neque vtero ſenſibili haec tractio conuenit.

96) BVRTON ſuadet pugno ad fundum vteri appoſito rotationem leniorem inſtituere; qua encheireſi ſanguinis grumos ex ſinubus vteri exire, filamenta adhaerentia decidere, et ſtatim dolores deſinere aſſerit, vid. An eſſay towards a complete new ſyſtem of midwifery. London 751. Tom. I. 8uo §. 166.

97) HIPPOCRATES braſſicam, mercurialem et lini ſemen, et linum viride in aqua coquere, colare ac infundere praecipit; lib. I. de morb. mul. Sect. CXI. No. 9. Tom. II. p. 504.

dunculo cum vtero intimius nexa deprehenditur [98]; artificio igitur a LEVRETO ad vteri polypos ligandos propoſito [99]) pedunculus paulo altius conſtringendus, et infra ligaturam, cautiſſime vero, diſſecandus eſt, quum ſpontanea ſolutio, ob ſanguinis effluxum ex vaſis vterinis hiantibus copioſiorem, in hoc caſu expectari nequeat. Polypus paulo maior, (qui vix non abortionem producit, adeoque vel raro vel nunquam poſt partum legitimum exiſtit), poſt foetus ſiue vitalis ſiue non vitalis expulſionem vteri contractionem impediens, ſi mediante pedunculo anguſtiore cum illius pariete cohaereat, eadem methodo quam iam propoſui, ſoluatur. Polypus minor baſi latiori inſtructus, ligatura extirpandus. Haemorrhagia vterina poſt polypi aut molae reſectionem, optime factam, percepta, quamuis vterus ſeſe contraxerit, iniectionibus ſubadſtringentibus, medicamentis intus datis paragrapho ſequente commemorandis, et quiete ſumma imperata compeſcatur. Quae etiam valent, ſi, ligato polypo, leue profluuium ſanguinis vterinum perſiſtit. Dolori ex irritatione vteri nimia orto, indeque motui humorum in puerpera intenſiori excitaturo, ſpasmodicos affectus producturo, emulſio nitrata, opii grano addito, medetur. Reliqua, ſi quaedam eſſent neceſſaria, paragraphus XIII. docebit.

§. XII.

98) LEVRET obſeruations ſur la cure radicale de pluſieurs polypes etc. à Paris 771. pag. 30. ſqq. quam obſeruationem a SAVIARDO mutuauit. Aegra vero foetum ſimul non geſtabat; an ſimilis caſus in grauiditate vera vnquam exiſtere poſſit? equidem dubito.

99) l. c. pag. 63. Cum manus in puerperae vterum immitti poſſit, deligatione *Levretiana* admodum artificioſa carere poſſumus. Artificium vero illud, quod ad deligandum in vtero funiculum vmbilicalem propoſuit Cel. ADOLPHI Profeſſor Helmſtadienſis, in diſſert. *de funiculo vmbilicali intra vterum diſcindendo*, Reſp. HERZIO, in hoc caſu maioris eſſet vtilitatis quam in vllo alio. Sed ligatura, ſi pedunculus infra eam diſcindendus eſt, quo haemorrhagia ex vaſis ad corpus peregrinum transeuntibus metuenda auertatur, firmius adſtringatur neceſſe eſt.

§. XII.

Auxilia aduerſus atoniam puerperarum totalem adhibenda.

Applicationem auxiliorum ſelectorum citiſſimam atonia incompleta inter varias ipſius ſpecies requirit [100]); cui autem ſi obſtetricans ſcite occurrere didicit, et reliquas, de quibus poſtea pauca addam, conuenienter tractare poteſt. Diagnoſi e paragrapho VI^ta poſita, indicationi cauſſali §. X. omni ſtudio ſatisfacere obſtetricans tentet. Quo ordine vero auxiliorum ad hunc ſcopum facientium applicatio fieri debeat, proponere allaboraturus ſum. Puerpera in ſitum, conditioni ſuae et, imprimis ſi placenta excutienda eſt, operationi inſtituendae [101]) accommodatum reponatur; coxis nimirum eleuatis, axillis depreſſis [102]) quo hoc artificio vterus et viſcera abdominalia relabantur, et ab impetu ſanguinis irruentis liberentur, ſanguis vero magis ſuperiora verſus dirigatur. Quo etiam ſtatim poſt placentae excuſſionem quieta iacere puerpera poſſit, in ſellam obſtetriciam, ſubſtratis culcitis laneis, tomentitiis, nullo modo autem plumaceis, optime reponitur. Placenta igitur, niſi ſequatur lenem funiculi tractionem, arte ſoluatur, cum ab vtero debili ex-

F cuti

100) Obſtetricans vt praeſens ſit in hoc caſu, vel ſaltem ocyſſime accurrere poſſit, ſi ſeruare aegram velit, neceſſe eſt; quod cum ſemper fieri non poteſt; etiam ob impiam *Noſtrarum* pudicitiam, qua lubentius fatum ſubeunt quam viro honeſto ſeſe confidunt, *obſtetrices ſaltem, in pluribus regionibus adhuc rudiſſimae, accuratius inſtruantur neceſſe eſt.*

101) Situm operatori commodum ſuaderem eum, quem LEVRETVS art des acc. §. 685. proponit; ea tamen cum differentia, quod menſuram ſecundum circuli quadrantem inſtituendam non anxie quaererem, vtpote quam hypocauſtorum ruſticanorum pauimenta prorſus reddunt inutilem.

102) HIPPOCRATES de morb. mul. Lib. II. Sect. VI. No. 14. Tom. II. pag. 533.

cuti nequeat [103]). Splenia oxycrato frigido, ſiue ſolutione vitrioli, aluminis et ſacchari ſaturni, madida [104]) abdomini imponantur, atque frequentius reiterentur; quibus abdominis frictiones atque contrectationes interponi poſſunt. Placenta educta, et vtero a grumis ſanguinis depurato, iniectiones ex aqua frigida, vel melius ex vino rubro, optimo cum ſucceſſu fieri queunt. Venaeſectionem reuulſoriam vulnere lato inflicto; ſtatim poſt placentae excuſſionem, in cubito inſtituendam, tum demum locum habere, quando puerpera plethorica eſt, neque haemorrhagia diu iam durauit, viri ſagaciſſimi praecipiunt; interim euentui bono non contrariatur ſanguinis ad vncias duas tresue per interualla (digitum nempe vulnuſculo imponendo) emiſſio [105]), quamuis puerpera, ob inſigne ſan-

103) Digiti placentam ſeparando ipſum vterum ad contractionem efficaciter ſtimulant; LEVRETI igitur praeceptum, art des acc. §. 780. in fine datum: *quod placentae ſolutio differri debeat, vſque dum ab inertia redierit vterus,* et Suite des obſ. art. IX. pag. 452. No. 3. *en ne ſe preſſant pas d'extraire le placenta, ſuppoſé qu'il ſoit encore adhérant à la matrice;* indicationi cauſſali non reſpondet. Si enim vaſa admodum ampla ex partiali placentae ſolutione hiant, quae ſanguinis torrentem profundunt, puerpera vitam amitteret, priusquam a debilibus vteri contractionibus, aduerſante etiam placentae adhaeſione, ea penitus excutiatur. Vanus itaque et intempeſtiuus eorum eſt metus qui putant, quod per placentae ſolutionem artificialem periculum augeatur, vti aſſumit HVGVENIN l. c. (29) pag. 29. Non tamen in quouis caſu placentam ſtatim eſſe excutiendam paulo poſt dicetur. Indicatio tamen illa ſemper certa firmaque ſtabit: *vt, quam primum haemorrhagia terrens oriatur, placenta adhuc adhaerente, haec excuti oporteat.*

104) HIPPOCRATES l. c. (102) No. 13. *linteum tenue, molle, raſum aqua frigida madefactum ventri imponere, et aqua perfundere iubet.*

105) Venaeſectionem in cubito inſtituendam in vteri haemorrhagiis *praeſentaneum* RIVERIVS dicit *remedium, ſi paulatim et per interualla ſanguis educatur; ſic enim multas deploratas conualuiſſe experientia docuit.* Prax. med. Lib. XV. Cap. 21.

ſanguinis profluuium, iamiam eſſet debilitata. Cucurbitularum ſiccarum, ſcopo reuellendi infra mammas et ad hypochondria applicationem non ſuaderem; licet enim efficaciter reuellant, ob ſtimulum tamen fibris illatum ſanguinem commoturum et ob frigus [106]) quod noxio effectu partibus denudatis infertur, niſi periculoſus euadat illarum effectus, ſaltem expectationi non ſatisfacit. Hauſtus aquae dulcis frigidiſſimus, ſtimulum vteri fibris infert, et ad contractionem eas excitat [107]). Sanguinis motum nimium temperant potiones acidulae nitratae [108]) copioſius hauſtae; iuſcula e mucilaginoſis, farinaceis, aut vegetabilibus auſteris parata, nec non horum ſucci expreſſi ſi praeſto ſunt; motum deorſum nitentem reſtringit, fibrarumque actionem excitat, haemorrhagiae igitur vteri, etiam ab eius atonia pendenti, medetur opium [109]), quod et in potione SYLVII [110]) exhiberi poteſt. Placentae excuſſione grumorum-

 que

106) Quod HIPPOCRATES iam metuebat l. c. (102) Sect. V. No. 14. pag. 532.

107) FRIEDIVS ſenior, obſtetricans Germaniae olim meritiſſimus, aquae frigidæ facultate vrinam pellendi commotus, vt eam in vteri poſt partum haemorrhagiis adhiberet; optimoque cum effectu illa vſus eſt, referente Exc. GEHLERO in diſſ. cit. (38) pag. 42. Interim aqua frigidiſſima in ventriculum ingeſta ſtimulum fere fundo vteri mediate infert, qui in noſtro caſu ventriculo vix non contiguus eſt.

108) b. LVDWIGIVS in inſtit. med. clin. §. 420.

109) Optimo cum effectu ſe eo vſum fuiſſe in vteri haemorrhagiis candidus SMELLIE refert in Recueil XLII. No. 1. obſ. 1. 2. 3. Tom. III. pag. 506. ſqq.

110) Prax. med. lib. I. cap. IX. §. 20. edit. Amſtelod. 1680. 4to. pag. 173. praeſcribit: *aquae plantaginis vncias duas*, *aquae cinnamomi drachmas ſex*, *aceti ſtillatitii vnciam dimidiam*, *coralliorum rubrorum praeparatorum drachmam dimidiam*, *ſanguinis draconis ſcrupulum dimidium*, *laudani opiati grana dua*, *ſyrupi myrtini vnciam vnam*; *cochleatim ſumatur*; terrea autem, ſi ad ſanguinea vaſa transire ibidemque effectus

que ſanguinis ex vtero eductione, eius ſuperficies interna iam irritatur, adeoque ad contractionem ſtimulatur; qua peracta, etiamque iniectione ſupradicta in vterum facta, auxilium externum, aduerſus vteri adeo extenſi haemorrhagiam efficaciſſimum, abdominis nimirum ope manuum lenis compreſſio, frictio, contrectatio verſus omnes illius plagas, prouti rerum neceſſitas hanc illamue exigere videtur, a Cel. DVSSE' in atonia vteri inuentum [111]), a Cel. SAXTORPHIO autem nuperrime optimo cum ſucceſſu, aduerſus haemorrhagiam poſt partum, repetitum [112]), in vſum trahere obſtetricans oportet. Fateor, me multum tribuere, in cohibenda haemorrhagia [113]) tollendaque atonia, huic arti-

fectus ſuos exſerere debent, *ſubtiliſſime* praeparentur neceſſe eſt.

111) l. c. (34) pag. 36. Mr. DVSSE' *maître chirurgien accoucheur à Paris a fait voir à l'academie un moyen qu'il a trouvé d'y* (à l'inertie de la matrice) *remedier. Il ne ſ'agit, que de donner du ſecours au reſſort trop foible des parties de la matrice, il porte ſes deux mains ſur la region hypogaſtrique, et comprime mollement le corps de la matrice, par un mouvement tantôt circulaire, tantôt de droite à gauche et de gauche à droite, tantôt de haut en bas, et de bas en haut. Ces mouvements en tous ſens ſont neceſſaires parceque la matrice eſt un tiſſu de vaiſſaux et de fibres qui ſe croiſſent auſſi en tous ſens. Cette même operation fera ſortir de caillots de ſang, qui pourroient être reſtés; mais ſ'il etoit reſté des corps d'un volume plus conſiderable, et capable de remplir aſſéz la matrice pour la faire réſiſter aux impreſſions de la main, il faudroit les tirer auparavant.*

112) *Remedium optimum, citiſſimum et efficaciſſimum, quo ſiſtitur poſt partum exorta haemorrhagia, eſt abdomen manibus leniter comprimere; per hanc enim compreſſionem fundus vteri verſus dorſum premitur, viſcera abdominalia ſubleuantur, ne ob nimium ſanguinis affluxum et vterum vacuum plus iuſto ſanguinis recipiant, et in vaſis vterinis patulis, eundem effundant.* vid. Collect. Havn. Tom. I. 774. 8vo pag. 328.

113) Conſentientem mecum habeo Cel. SAXTORPHIVM, experientia conuictum, qui l. c. ita pergit: *Atonitus ſaepius vidi, quomodo ſub hac abdominis preſſione puerpera debilis et lipothymia correpta momento oſcitauit, ſenſibus redeuntibus. Omiſſam preſſionem ſubſequebantur ſtatim obſcuritas oculorum, ſuſurrus aurium, et ipſae lipothymiae.*

artificio, manibus etiam aceto acerrimo madidis peragendo; duplici enim indicationi vno fere momento mirum in modum ſatisfacit: cauſſali nimirum comprimendo vaſa extenſa atque iuuando fibrarum contractionem; vitali, dum repellendo ſanguinem verſus ſuperiores partes, ad cor praecipue, functiones ad vitam neceſſarias ſuſtinet, actionesque excitat, conf. not. 113. Sed diu ſatis continuetur neceſſe eſt [114]). Iniectiones vterinae ex vino rubro, pontacino, calido [115]), ope ſiphonis ad hunc ſcopum apti, (cuius tubulus incuruus in extremitate foraminulis multis pertuſus eſt) peragendae, ſimul adhibeantur. Neque remedia interna, iam recenſita, negligentur. Quae omnia ſi rite ac tempeſtiue ſatis adhibentur, effectu bono ſperato vix carebunt, ita, vt obſtetricans puerperam, debilem quidem, e mortis faucibus tamen ereptam, quietiſſimam relinquere, et methodo paragrapho ſubſequente proponenda, tractare poſſit. Illis autem, ſi puerpera ſeruari nequit, neque illius in aquam frigidiſſimam ſubmerſio etc. quicquam praeſtabunt [116]); immo,

114) SAXTORPH. l. c. *quam preſſionem in vna puerpera fui coactus per duas horas continuare, antequam pulſus, calor, reſpiratio et ſenſus reſtituerentur.*

115) Vinum calide applicatum, principio ſpirituoſo fibrarum actionem excitans, citius agit quam ſi frigide adhibetur; cum praeterea vaſa ſanguinea adeo comprimantur, vt calor accedens ſanguinis copiam maiorem ad vterum allicere nequeat, hac de cauſſa iniectio calida nocere haud poteſt.

116) Quae ſuadet LEVRETVS Suite pag. 462. ſq. ea tamen praecautione, ne poſt XXIV. a partu horarum elapſum adhuc adhibeantur: *mais il eſt bon d'obſerver, que ces rémédes extrêmes ne doivent point être employes, après les premieres vingt-quatre heures; car, outre qu'il y a lieu alors de ſe flatter, que le plus grand péril eſt paſſé*, etc. veriſſimum hoc eſt, cum atonia exiſtente vita puerperae ad XXIV. horas protrahi nequeat; hinc monitum illud prorſus ſuperfluum eſt. Cur autem Cl. WALLBAVMIVS in traductione editionis primae

mo, cum frigoris externi in corpus humanum ſanguinisque circulum effectus [117]) nullo modo reſpondeant indicationi, in hoc caſu formandae, noxia futura. Atonia completa actionis fibrarum muſcularium exigit excitationem, qua obtenta, methodum medendi admittit eandem, quam in hac paragrapho propoſui. Frictiones igitur abdominis, fomentationes adſtringentes, iniectio vini calidi [118]), lenes vteri, per manum inductam peragendae, irritationes, ea ſunt remedia, quae in atonia completa adhiberi debeant. Placentae autem excuſſio non prius ſuſcipiatur, quam haemorrhagia oborta de illius partiali ſolutione, ideo-

primae libri citati, Tom. II. pag. 327. poſuerit: *Hiebey wollen wir aber anmerken, daſs dieſe aeuſerſten Hülfsmittel durchaus nicht als nach den erſten 24 Stunden müſſen gebraucht werden.* etc. an LEVRETVS ipſe eam cautelam in prima libri editione ita praeſcripſerit? quod tamen ſaniori therapiae et ipſius autoris verbis ſubſequentibus contradiceret, cum ille monuerit, atque WALLBAVMIVS accurate expreſſerit l. c. *quod alii motus ſalutares* (lochiorum fluxum intelligunt atque lactis ſecretionem) *eo tempore* (poſt XXIV. horas a partu) *euenire debeant, qui remediis iſtis heroicis maximo cum puerperae damno turbarentur.*

117) Conf ea, quae Exper. LEONHARDI in diſſertatione *de frigoris atmoſphaerici effectibus in corpus humanum.* Lipſ. 1771. praeprimis in §. IX. pag. 19. 20. docte propoſuit. Sanguis vero ad interiora repulſus, portam exeundi ampliſſimam per vaſa vteri, adhuc expanſi, adeo dilatata §. I. inuenit; copioſius vero irruens, impediendo vaſorum contractionem, ipſe ad atoniam facit. Calor autem, quem balnea frigida in corporum robuſtiorum ſuperficie producunt, eo nimirum quod, reſiſtentia cordi facta tandem ſuperata, ſanguis verſus ſuperficiem efficacius propulſus, ab interioribus partibus reuocetur, nihil probat pro balneorum glaciatorum in atonia vteri vſu: praeter id enim, quod ſanguis portam foras egrediendi inueniat, cordi igitur reſiſtentiam non ponat atque calorem in ſuperficie non producat; ſi etiam reſiſtentia poneretur, motus cordis in adeo debili puerpera facile ſuffocaretur, vel ea apoplectica moriretur. Ne quis mihi obſeruationem caſus aliquando fortunati obiiciat; de illethalitate vulnerum cordis eum interrogarem.

118) Conf. not. 115. Quamprimum autem ſanguinis profluuium apparet, omittatur, et placenta nunc excutiatur.

ideoque incepta fibrarum actione, teſtetur; quamdiu enim placentae cum vtero cohaeſio integra eſt, periculum non vrget [119]). Si autem obſtetrix imperita placentam degluberet, vaſa inſignis diametri hiantia, vi contractili priuata, ſanguinis torrentem cumque eo vitam effunderent, imprimis cum a tergo ille irruens vaſorum contractionem impediat. Excitata nunc fibrarum actione, ea adhibeantur auxilia, quae aduerſus atoniam incompletam propoſui. Atonia exquiſita vel completa vel incompleta eſt, ad eandem igitur normam, qua hae, tractari debet. In vteri paralyſi, niſi conſummatiſſima illius neruorum reſolutio omnem reſpuat medelam, remedia aduerſus atoniam completam laudata, immo iniectiones vterinae ſalis ammoniaci parca portione acuatae, vna cum medicamento neruos excitante intus dato, adhibitae, forte efficacia adhuc reperiuntur.

§. XIII.

Puerperii regimen.

Malo vt vt feliciter ſatis profligato, ſummam medici attentionem puerperium poſtulat, quum ſequelae, aeque ac morbus ipſe, facile funeſtae §. VII. euadant. Indicationum ordinem, paragrapho X^ma^ propoſitum, ſecuturus, vires vacillantes excitet, adaugeat, ſymptomatibus, ſi quae adſunt terrentia, imprimis lipothymiis, conuulſionibus medeatur. Aegra in locum temperatum, obſcurum, quietiſſimum, culcitis laneis aut plumaceis leuioribus tecta reponatur. Iuſculis carnium tenuiſſimarum

119) Vti ex morbi hiſtoria pag. 7. apparet; per viginti enim minutarum ſpatium puerpera ab haemorrhagia iacebat libera.

rum, vt pullorum cohortalium vitulorumue, aut ſero lactis cui ouum additum fuit, quibus ſingulis radicis valerianae drachma vna alteraue incoqui poteſt, hauſtibus paruis ſed poſt interualla minora repetitis ingerendis, vires ſuſtententur; quibus interpoſitus liquor cornu cerui ſuccinatus cum granis aliquot caſtorei tritus, vel ſpiritus nitri dulcis laudano liquido mixtus, conuulſionibus ex inanitione ſubitanea ortis, efficaciter reſiſtunt: expandendo ſcilicet humorum ſubtiliorem partem vaſcula minutiſſima ſpaſmo contracta dilatant; halituoſo ſuo neruis gratiſſimo principio, ſpaſmum tollendo vimque fibrarum elaſticam ſuppeditando vaſa agilia reddunt; quo facto et circulo in minutiſſimis reſtituto, actiones vitales reſuſcitantur augenturque. Impetu primo ſedato virium reſtauratio vlterius attendenda eſt, quae quidem nutrientibus ſubtiliſſimis, iuſcula illa puto, obtineri poteſt; interim illa in ſuccum et ſanguinem, corporis conditioni accommodatum, verti debent, quo exinde ſecretiones, et excretiones neceſſariae euenire poſſint. Ad quam indicationem obtinendam humorum, in corpore adhuc praeſentium, maſſa ſubtilior reddatur neceſſe eſt, quo liquores ingerendi in illorum mixtionem recipi poſſint, quae organorum virtute denuo elaboranda perficiendaque eſt. Iuſculis igitur illis potio ſalina, additis extractis amaris paucoque ſpiritus nitri, interponatur. Si autem humores acrimonia peccant, abſint ſalia; ſed hauſtu vini dulcis, cum pane biſcocto interdum exhibito, vires refocillentur, indeque vteri et organorum reliquorum tonus confortetur. Viae, per quas excretiones fieri debent, liberae reddantur neceſſe eſt; imprimis autem ad vteri expurgationem medicus attendat. Iniectiones igitur vterinae maximi momenti

ſunt;

ſunt; loci naturae et conditionibus requiſitis egregie accommodatum inuenio enema, cuius formulam ex HIPPOCRATE in nota 97ma exhibui, in qua, ſi laxitas vteri nimia peccat, linum viride omitti, et herba veronicae, betonicae addi poteſt; vel ex foliis maluae, floribus chamomillae, farina ſeminis lini, furfuribusue, coctis ex aqua mellisque portione addita, alia paretur iniectio. Inteſtinorum amplorum contenta, clyſmatibus emollientibus, additis ob vteri viciniam leniter aromaticis, educere; ad ſanguinis circulum in infimo ventre liberiorem reddendum multum iuuat. Si febris, imprimis ob nouam ſanguificationem, incenderetur, potiones nitratae, clyſmata antiphlogiſtica, eiusdemque generis iniectiones vterinae, motum ſanguinis nimium temperant, atque vteri inflammationem auertunt. Sanguinis ſpiſſitudinem inflammatoriam reſoluunt absque orgaſmo agentia mineralia, vti tartarus emeticus, kermes minerale refracta doſi, vel etiam liquor nitri flammantis in parca portione, potionibus antiphlogiſticis additus, vna cum potu diluente acidulo grato, exhibita; qualis v. c. eſt cremor hordei cum ſucco citri et ſyrupo rubi idaei, aut alio ſimili, ſiue decoctum panis atri addito ſyrupo vel ſaccharo, aut radicis ſcorzonerae ſiccatae cum herba acetoſae recente. Iniectiones vterinae pariter ex herba mercurialis, cherefolii, acetoſae, addito pauco ſalis mirabilis Glauberi, inflammationi organi huius reſiſtunt. Sanguinis motus vehementer intenſus, ſi dictis ſedari nequit, ſi, quod vtplurimum fit, lochiorum nulla ſunt veſtigia, venaeſectionem in pede inſtituere, eamque pro rerum neceſſitate etiam repetere medicus ne reformidet, cum ae-

gra alio modo ſeruari nequeat [120]); methodus antiphlogiſtica continuetur; hypogaſtrio, ad vteri fibras in corpore ſtrictiori relaxandas [121]), panni oleo lini recente madidi imponantur, atque iniectiones emollientes reſoluentes in vterum fiant, aluusque clyſmate [122]) ſoluatur; conclauis temperies humida reddatur, quo et corporis ſuperficies mollior facta plus ſanguinis, a partibus interioribus reuocati, recipiat, et aer ſubfrigidus, paulo humidus, inſpiratus ſanguinis aeſtum in pulmonibus temperet. Si vero alui et lochiorum foetor, deliria, pulſus mollis, plenus, celer, virium imbecillitas, de humorum indole putrida teſtantur, potus antiſepticus ex aqua cum ſpiritu vitrioli paratus, vna cum aliis potionibus iulapiisue antiphlogiſticis, exhibeantur; nutrimentum fructus acidi, etiam conditi praebeant; aluus et vterus frequenter eluantur, illa clyſmatibus ſubadſtringentibus quibus cremor tartari additus fuit, hic iniectionibus ſimilibus, quae mel receperunt; puerpera in loco frigidiori ſeruetur. Indole humorum putrida correcta, nutritionis ratio habeatur: iuſcula carnium non pinguia cum acidis vegetabilibus v. c. herbae acetoſae cocta, cum pane albo exhibeantur; potum vero praebeat decoctum panis atri ſaccharo aut ſyrupo gratius redditum, vel decoctum ceraſo-

rum

120) HIPPOC. l. c. (97) Sect. 66. No. 7. 8. pag. 457. Indicatio ad venaeſectionem adeo proxime a partu inſtituendam quibusdam, niſi periculoſa, dubia ſaltem videbitur, imprimis cum medici in regionibus calidioribus ſaepius ea abutentur; ipſe a ſanguinis miſſione in quartanis, hydrope inſtituta vidi effectus peſſimos. Medicus vero iudicioſus, rerum ſuarum certus, indicantia et contraindicantia rite ponderabit, ne in quouis caſu ad venaeſectionem, quaſi ſacram anchoram, refugiat.

121) IDEM l. c. No. 9.

122) IDEM l. c. No. 10.

rum acidorum, vel ſerum lactis acidum. Vteri expurgationem medicus ne negligat; hinc ſi febris abeſt, aluus ſolutione pilularum balſamicarum nitro addito ducatur; emulſiones nitratae cum gummi aſſae foetidae, vel etiam galbani paratae exhibeantur. Quae autem, ſi ſanguinis aeſtum concitare viderentur, aluus antiphlogiſticis ſoluatur, et vteri vaſa reſoluentibus mineralibus, ſupra iam dictis, in refracta doſi potionibus additis aperiantur; ad hunc ſcopum quoque faciunt iniectiones vterinae ex infuſo ſummitatum melilotti, herbae veronicae et betonicae paratae. Vteri atque totius corporis robur tandem corticis peruuiani infuſo, viribus vero auctis, puluere ipſo in electuario exhibito, reſtituitur; qui finis citius obtinetur, ſi ſimul diaetae regimen ſtrictius ſeruatur.

Si autem laticis rubicundi copia adeo magna a partu profuſa non fuit, vt exinde noxae in vniuerſo corpore [123]) metuendae eueniant, humorum motus ſedatio atque ſpaſmorum ſolutio ſolummodo attendendae ſunt, quo ſecretiones et excretiones debitae peragantur; quiete igitur ſumma puerperae imperata, illae obtinentur potionibus nitratis aliisque antiphlogiſticis, grano opii addito. Alui lotiones et in vterum iniectiones, quae huius exitum patefaciant, ne omittantur; nutritio autem per iuſcula tenuiora, aut lac, conueniens praeparetur; robur denique organorum totiusque corporis debitum reſtituatur.

123) BOERHAAVE Inſt. med. §. 775.